

Johann Affelmann   Jakob Breiger

**Centuria Positionum Theologicarum De Invocatione : ex D. Johannis Evang. c. 16. v. 23. ; Cum annexo Corollariorum pari, Quibus D. Joh. Affelmanni Theses, Una De Calvinistarum Deo, Altera De Imaginibus Vindicantur**

Rostochi[ij]: Pedanus, 1621

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737569077>

Druck   Freier  Zugang



Vest. J. Breigens  
J. Affmann.  
R. U. theol. 1621.



D. O. M. A.

GENTURIA

Positionum Theologicarum

DE

INVOCATIONE

ex D. Johannis Evang. c. 16. v. 23.

CUM

annexo Corollariorum pari,

Quibus D. JOH. AFFELMANNI Theses,

UNA

DE CALVINISTARUM DEO,

ALTERA

DE IMAGINIBUS VINDICANTUR:

Quam

PRÆSIDE

REVERENDO, EXCELL. & CL. VIRO

DN. IOH. AFFELMANNO

SS. Theologiæ D. & P. P.

PUBLICÈ PROPONIT

M. JACOBUS BREIGERUS

RESPONDENS.

*Habebitur Disput: in Auditorio magno  
ad diem Decemb.*

---

ROSTOCHI

Literis & sumptibus meis excudi Joach: Pedanus, Acad. Typog.

ANNO M. DC. XXI.

29

Collection Theological

THEOLOGICAL



DE CA...

M. JACO...



# DEO AUTHORE.

## THESIS I.

*4. gem. No. 409 ab. No 545.*

**A**urea & consolatione plenissima est divina promissio, quam legimus Ex. 19. v. 6. Vos eritis, inquit Jehovah, mihi in regnum sacerdotale & gens sancta. Promissio hac, si ex suis in allegato loco notatis circumstantijs aestimetur, populo Israëlitico, quem non sine magno excellentium miraculorum apparatu, ab Ægyptiaca servitute liberaverat Deus, olim Mose interprete, è monte Sionis facta: sed qua tamen ad omnes N. etiam Testamenti, Israëlitas spirituales, ad Abrahami τῆς ἐπιγγελίας filios, Rom. 9. v. 8. sese extendat, si spectetur 1. quâ rem. 2. quâ repetitionem Apostolicam, venustum verborum flexum habentem 1. Pet. 2. v. 9. & 3. quâ Usum Apocalypticum Apoc. 1. v. 6. c. 5. v. 10. & c. ubi Christus nos Reges & Sacerdotes constituisse dicitur.

2. Exosculamur, & intimo pectoris sinu recipimus honorarios Christianismi nostri titulos. Siccine oportuit nos undeundiq; accipere ex plenitudine Christi? Joh. 1. v. 16.

3. Sed & fas usurpemus eosdem, atq; instar monitorum habeamus, qui officiorum rationes à nobis quotidie exigant. Hinc robusto & regio prorsus animo 1. succensebimus nobis ob peccatum, 2. sumptaq; universa Dei armatura. 3. dominabimur peccato, mundo, carni, pravæ cupiditatibus & vitiosis, qua ex illis prodeunt, actionibus abjectis; 4. sustinebimus fortiter in Victoria Christi, crucem, 5. vincemus ac superabimus Dia-

A 2

holum

*bolum, mortem, 6. Indatiq; iustitia, bono alijs exemplo erimus,  
praebimus. Confer ex Eph. 6. pulchram militis Christiani  
descriptionem.*

4. *Sic & Sacerdotalia Domino officia exhibenda esse  
meminerimus. Idq; 1. Docendo. 2. Orando. 3. offerendo. Qua  
Offerenda Deo, ad quintuplicem revocari classem poterunt.  
Primam constituit Spiritus contribulatus contritumq; cor: de  
quo Pl. 51. v. 19. Ef. 66. v. 2. Secundam Sacrificium Justi-  
tia: de quo Pl. 4. v. 6. Ef. 1. v. 26. Tertiam Sacrificium  
laudis & Confessionis: de quo Pl. 50. v. 17. 21. Hebr. 13. v. 15.  
& Oseas c. 14. v. 3. Quartam Hostiae beneficentiae: de qui-  
bus ad Hebr. 13. v. 16. Of. 6. v. 6. Quintam Hostia vivens  
ac rationalis corporum nostrorum: ad Rom. 12. v. 2. Sacri-  
fium primum est non trucidati pecoris occisio, sed trucidati  
pectoris contritio: secundum, fides: cetera Fidei fructus sunt  
erga Deum, erga proximum, erga nosmetipsos.*

5. *Docendum autem est Christiano juxta Pauli praece-  
ptum ad Coloss. 3. v. 16. & Auctoris Epist. ad Hebr. moni-  
tum c. 5. v. 12. Deniq; etiam Orandum est nobis spiritualibus  
Sacerdotibus. Idq; quoties tribulationis dies ac necessitas po-  
stulaverit, Ef. 26. v. 16. 17. postulat autem semper, adeoq; &  
precabimur tum interdum tum noctu 1. Theff. 3. v. 10. sine in-  
termissione 1. Theff. 5. v. 18. & semper Luc. 18. v. 1.*

6. *Sacrificij hujus spiritualis postremi ingenium breviter  
& ὡς ἐς τὸ πᾶν explicaturi, nonnullas de ORATIONIS na-  
tura requisitisq; positiones, placida collationis instituenda cau-  
sa, praesente charta exhibebimus. In quo antequam ulterius  
provehamur instituto, nostram facimus piissimam Episcopi Cy-  
renaici vocem: Θεὸς ἡγίασθε τὰ ἄνθρωπος ἐργα καὶ λόγια.*

*Sis nostri, bone Christe, operisq; styliq; Magister.*

7. *Nunc ad rem ipsam accedentes, proponimus aureolum  
Christi aphorismum, à D. Joh. c. 16. v. 23. his verbis conce-  
ptum:*

εἰρήνην: Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ὅσα ἐν αἰτησῆτι τοῦ πατρὸς  
ἐν τῷ ὀνόματι μου, δώσῃ ὑμῖν. Amen Amen dico vobis, Qua-  
cunq; petieritis in nomine meo Patrem, dabit vobis.

8. Duas conciones an cantiones cygneas, testes Volun-  
tatis sua, habuit Christus ad Discipulos jam jam deserendos:  
quarum prior in Cenaculo post institutam SS. Eucharistiam  
habita, & à Joh. c. 14. descripta: posterior autem in viâ ver-  
sus montem oliveti, & annotata ab Evangelista eodem capp.  
15 & 16. [Ex Posteriore desumptus paragraphus est, quem pro-  
posuimus: & ad eam quidem ejus partem pertinet, in qua ar-  
gumentis pluribus discipulos suos, quos omnibus tristitia & ca-  
larnitatum, (magnarum, majorum, maximarum) gradibus  
(Neq; enim ἡ δὲν tantum illis, sed & Σπῆνοι & τὰ κλαύματα  
attribuuntur: idq; etiam unico versu 20.) subjiciendos, inter-  
eundam Christus dulce loquens solatur, atq; arma & presidia  
predictis adeò gravibus malis opponenda ostendit atq; suggerit.  
Proindeq; ad Institutum ac scopum Christi si oculos atq; ani-  
mum convertamus, nasci nobis tale poterit argumentum. Qui-  
cunq; omne illud, quod à Deo Patre in nomine Christi petunt,  
certò adsequentur, illis in cruce, etiam gravissimâ, nec dolen-  
dum plorandumve, neq; de liberatione & felici exitu desperan-  
dum erit. Discipuli Christi, asserente Christo, certò assequen-  
tur & obtinebunt quacunq; in calamitatibus constituti Deum  
rogaverint. Ergò Discipulus Christi non est vel muliebriter plo-  
randum vel desperandum.

9. Syllogismi terminum medium, ut Logici vocant, pa-  
ragraphus noster continet. Hujus sensus genuinus & para-  
phrasis etsi cuivis appareat: tamen repetam hanc in rem verba  
D. Hunn. p. m. ex Comm. ubi sic scribit. Hoc vobis religiosè  
polliceor, interpositi à juramenti cautione, quod quando Patrem  
caelestem (extra quem non est alius Deus, qui invocari possit  
ac debeat) invocaveritis, idq; in nomine meo (qui unicus sum



mediator inter Deum & Vos, patefaciens vobis aditum accedendi ad Patrem cum fiducia: ) quicquid inquam hoc modo, juxta Voluntatem scil. ejus, petieritis, id certo certius dabit vobis, dummodo id vestra saluti & aeterna beatitudini nihil obstat. Haec enim Hunnius.

10. Ut autem in eo accuratius ac plenius excutiendo occupemur, opera precium esse videtur. Quod ut certa fiat methodo, considerabimus. 1. Notabile Enunciati Christi, propositionis nostra, Vestibulum, 2. Ipsam Enunciati hujus Structuram. In illo videbimus propositionis antecedentia: in hac membra ejus essentialia: in illa propositioni auctoritatem & robur conciliabimus; in hac eandem vera facie contemplabimus: in illo animum auditoris excitabimus; in hac mentem ejus verò planoq. axiomatis intellectu adimplebimus. Ingrediamur ergò sine mora ipsum, quod diximus, Propositionis Christi

## VESTIBULUM.

11. In hoc tria considerabimus: nempe Enunciati nostri 1. autorem. 2. adjunctum certitudinis modum. 3. Objectum.

12. Quod ad 1. attinet, Quis autor, & quis heic loquatur, id ex antecedentibus manifestum est. Is nempe, qui ne longius regrediar, ultra triennium universam Judaeam doctrina, atq. miraculis impleverat, & nunc absolutò ministerij cursu, juxta consilium & aeternum aeterni Patris decretum, Act. 2. v. 23. juxta dicta & oracula Scripturarum Propheticarum, Luc. 24. v. 25. 27. ultimam obedientiae suae activo-passivae manum impositurus & pro genere humano passurus erat. Is, cujus abitus mirum & miserandum in modum discipulos turbabat. Is quem Petrus contra jactatam constantiam, repetitis vicibus, abnegaturus erat. Is, qui, Sed longum foret, omnia ex capp. 13. 14. 15. 16. 17. repetere, quibus Autor propositionis nostra describitur.

13. Cum

13. Cumq; ea universa & singula neq; in Creatorem simpliciter, neq; in nudam Creaturam aut merum hominem cadere possint, indubitatò colligimus, eum, cui cum Apostolis hic sermo est, esse unum ex & in utroq;. Nempe, existentè ab aeterno Deù; qui id quod erat, permanserit, & quod nõ erat, assumpserit. Immanuelem scilicet, Ef. 7. v. 14. Dominum ac Deum, Pl. 110. v. 1. Joh. 20. v. 28. itemq; fratrem nostrum, Christum Jesum, Ἰανθρωπον. Id quod ex textu adulto sole clarius est.

14. Vox Dicendi plures habet significationes: id quod nunc morari est extra Oleas vagari. Illud notabimus tamen, quod ad rem presentem facit. Interdum correspondet Græco ἐπιταῖν, interdum idem est, quod τὸ λέγειν, aliquando etiam idè est, quod λαλεῖν. Επιταῖν verò in S. Sacris idem esse videtur, quod apud Hebræos דבר: Cumq; Hebræicum hoc, aliquando vulgarem sermonem sive actionem loquendi significet, interdum præterea ex Idiotismo lingue, emphaticum sit, & iussionem notet, factum est, ut apud Græcos τὸ ἐπιταῖν utramq; acceperit significationem, ut docet locorum inspectio. Verum enim verò in presente paragrapho non est vox ista, sed vocabulum λέγειν. Quod ipsum etiam aliquando idem velle, quod κελύβειν, ostendit locus ad Rom. 12. v. 3. λαλεῖν de omni locutione usurpatum reperitur: Unde hoc quasi generale ac commune est; duo præcedentia sunt specialiora. Illud actionem loquendi simplicem notat: hæc ut plurimum emphasim habent, & nescio quid serij involvunt; usurpanturq; potissimum, cum indicativè ac certius quippiam affirmandum negandumve est. Illud videtur magis significare id, quod in sermone à natura est: hæc verò istud, quod ab arte, à mentis industria, à certa intentione, consilio, fine.

15. Quod si nunc ad textum nostrum respicias, videbis facile, quid λέγειν Dicere Johanniticum sibi velit. Neq; enim  
con-

contentus fuit aut satis habuit D. Johannes expressisse, Christum fuisse locutum, sed eum serio & rem seriam certamq; indicativè, clarè, certò affirmasse, id exprimere voluit.

16. II. Emphasi huic per verbum Dicendi notata, accedit Major Certitudinis adhuc ratio atq; vis, per vocem Amen, eamq; non frustrò geminatam, insinuata. Amen sine dubio Hebraicum est, & propè Adverbij naturam habet. Quo tamen non obstante, subungi sapissimè articulo solet & Nominaliter in Scripturis tum V. tum N. Instrumenti, e. g. Apoc. 3. v. 14. accipi. Usurpatur autem ut compendiò dicam, particula hac triplici modo. Interdum votum continet & est optantis: interdum fiduciam sive *πίστεως* notat, & est hominis promissionem propositam indubitata fide amplectentis; interdum certitudinem significat, & est asseverantis, est inquam tantum non jurantis. Geminatio verò ejus in Scripturis toties occurrens, temeraria non est, sed majoris desiderij certitudinisq; declarandæ vim obtinet. Unde Regula Theologica. Amen geminatum notat asseverationem summam ac certissimam.

17. Postrema significatio hujus loci est. Unde quantæ propositionis (de qua mox in sequentibus,) certitudo sit, quoq; à nobis haberi locq; debeat, constat. Nempe non solum ab eo est, qui veritas ipsa, Joh. 14. v. 6. & mentiri non potest, Hebr. 6. v. 18. sed & juramento (hujus enim formam phrasis illa propemodum in Sacris habet non semel, ut dictum est) confirmata. Idq; non sui Christus fecit sed nostri causa, ut animis prorsus à *μεταπίπτωσι* redditis, immobiles staremus, neq; ullo modo, ullis calamitatum fluctibus in diffidentia ac desperationis charybdin abripi nos pateremur. O Clementiam, O providentiam fidemq; divinam! Sed & O nos beatos, qui clementer juranti, plenâ fiducia credimus!

18. Succedit III. Objectum. Textus habet: Amen, Amen dico Vobis. Qui isti, ad quos Christus *ἰσχυροῦσθε* tam

tam religiosè? Resp. Unò verbò: Apostoli sive discipuli Christi. Cum hīs enim in presentia Christo immediatè sermonem ac rem esse, quis non cernat? Et certè tam efficaci presentig, contra molem illam impendentium calamitatum antidoto id temporis nemini magis opus fuit, quàm miserimo Apostolorum catui. Ergò ad Apostolos quoq; spectabit futura nostra Propositio, adeò religiosè facta de liberatione promissio.

19. Caterùm in Apostolis duo sunt. 1. Apostolatus dignitas. 2. Salutaris in Christum fidei Veritas. Illa est officium personale ac proprium paucis: Hęc est pijs mentibus commune x̄c̄eio ius. Illa requirit immediatam Christi vocationem: hęc veram verbi cœlestis predicationem. Illa tot retrò seculis ne fuit quidem: hanc omni ævo, unà cum Ecclesiâ ipsâ, certò futuram credimus, speramus.

20. Agite ergò, perpendamus, quo respectu adeò nobilis ad eos pertineat promissio. Sed isthac tamen in re responsio in promptu est, si attendamus, quâ consideratione ad eosdem spectet Vera ac fiducialis oratio. Oratio verò talismodi essentialem, per se, atq; adequatum cum Apostolatu nexum minimè obtinet, sed cum fidei pectore: eoq; considerato non simpliciter, quâ substantia est, nec quâ fidei possidet habitum, sed quatenus fide respicit & apprehendit veram ac sinceram pietatis, iustitia melioris ac ~~πείρασμόν~~ Matth. 5. objectum. Objectum inquam, non generale & adequatum, sed speciale ac proprium, quod est CHRISTUS ò ~~πρωτότης~~ ~~καὶ~~ ~~ἰνέτης~~ generis humani. Deinde argumentor. Quousq; se extendit crux ac calamitatum moles, eousq; se extendit data à Christo promissio. Atqui calamitates exercent omnes verè Christianos. Ergò & hęc promissio spectat ad omnes fideles.

21. Hinc parata ad propositionis nostræ

## STRUCTURAM

via, quam formalibus verbis sic proponimus: Quicquid fideles

B

les

les seu credentes Patrem in nomine Christi petunt rogantq; , hoc dabit eis. *Cum Propositionem Vocavimus, usum sumus termino Logico: utemur similibus in ejus Resolutione, consideraturi propositionis hujus 1. Subjectum. 2. Prædicatum.*

## I. DE SUBJECTO.

22. Subjectum Enunciati nostri est in Verbis: *Quicquid credentes patrem petunt in nomine Christi. Exponuntur & ostenduntur in illo Precationis 1. Subjectum. 2. Materia. 3. Objectum. 4. Modus.*

23. Subjectum sive etiam Causam efficientem precationis constituimus Homines credentes. *Idq; intellectum, Voluntatem (evidentia & docendi causa cur non liceat?) & Excessivè, & Exceptivè & Reduplicativè. Et tunc emergunt enunciata talia. Ex modo primo: Tantum credentes, vel Soli credentes rectè orant. Ex Secundo. Nulli homines, præter credentes rectè orare possunt. Ex Tertio. Credentes quatenus tales sunt, seu quatenus credunt, rectè orare queunt. Fac ergò te esse hominem, te esse civem vel rusticum, doctum vel indoctum, Principem vel subditum, Consulèm vel Senatorem, divitem vel pauperem &c. ita profectò vera ac pia oratio in te non cadit, à te non est: Credas oportet, & quatenus credis, sic rectè invocabis.*

24. *Atq; hâc fide positâ, parum interest sive Vir sis sive mulier, sive Judæus sis sive Græcus. Quibus phrasibus cum Universum genus humanum in suos ordines divisum completamur nullò excluso, volumus insinuare, non esse hic distinctiones intraducendas à familijs, ab Insulis admodum diversis sumptas. Est namq; hoc expressè contra Sophon. c. 2. v. 11. Illud verò contra Plal. 22. v. 28. Nempe Domine omnes gentes, quas cunq; fecisti, venient & adorabunt coram te & glorificabunt nomen tuum, Pl. 86. v. 9. Ut autem de Judæis Salomonis*

*atque*

etate dubitatio nulla: sic de alienigenis id testatur & vaticina-  
tur ipse Salomon 1. Reg. 8. v. 43. & exemplum est, ut alia ta-  
ceam, in Regina Sabæa, Deo gratias agente 2. Paral. 9. v. 8.

25. Ut autem fides ipsa donum est Eph. 2. v. 8. Philip. 1.  
v. 29. & opus Dei Joh. 6. v. 29. Spiritu S. auctore per Ver-  
bum (sive nudum sive Sacramentis Vestitum) interveniente  
predicatione, lectione, meditatione ve auditum Rom. 10. v. 17.  
in cordibus productum: sic & ipsa invocatio non est opus hu-  
manarum virium, sed Spiritus Sancti. In quam sententiam  
cum plurima extant S. S. Scriptura dicta, satis sit citasse So-  
phon. c. 3. v. 9. Hieropsalten Psal. 80. v. 19. Pf. 51. v. 17.  
Unde & Spiritus precum appellatur apud Zach. c. 12. v. 10.  
Is est, in quo non tantum nos clamamus, Rom. 8. v. 15. sed &  
qui clamat in nobis Abba pater Gal. 4. v. 6.

26. Quibus ita disputatis, manifestum est, preces ad  
Deum fundere non posse homines verâ fide destitutos, quicunq;  
& cuiuscunq; tandem ætatis, ordinis, conditionisq; sint, quo-  
cunq; sub axe degant. Unde verbo: Peccatores Deum invocare  
non queunt. Nimirum hi sunt, (1.) qui frustra assumunt no-  
men ac testamentum Domini in os suum, Pf. 50. v. 16. (2.) à  
quibus Deus avertit faciem suam, Esa. 1. v. 15. (3.) quos non  
exaudit Joh. 9. v. 31. etiamsi (4.) multiplicent orationes suas  
Esa. 1. v. 15. Hi sunt (5.) quorum orationem vertit in peccatum  
Dominus, ut est apud Davidem Psal. 109. v. 7.

27. II. Materiam, quam precari fas est ac pium, expri-  
mit textus noster per vocabulum boni, h. e. Quacunq; res nobis  
necessaria. Harum evnemus. 1. Conditions. 2. Videbimus  
earundem Species.. Conditions prodeunt eleganter ac  
pulchrè, si consideres, Christum non loqui in presente loco de  
rebus quibusvis sine discrimine, sed de illis bonis & omnibus,  
que ad regnum Dei, ad gloriam ac sanctificationem nominis  
ejus, ad salutem humanam promovendam & conservandam  
pertinent. Ergo

28. Tà òræ hæc, de quibus Christo sermo, aut spectabimus  
1. In se, aut 2. Quoad nos, aut deniq; 3. quoad Deum &  
Christum.

1. loci sui

29. In se spectata injustitia atq; improbitatis, quæ mo-  
res, & impietatis, quæ fidem fideiq; doctrinam, continere nihil  
debent. In furto ergò, in adulterio, in superbia, in alijs peccatis  
perficiendis continuandisq; quotusquisq; favorem auxiliumq;  
imploras divinum, peccas nec oras. Sic & in bello, quo v. g.  
desertâ Orthodoxia Veritate, Veram Ecclesiam pessundare ni-  
tuntur Viri principes, frustra successum felicem à DEO po-  
sciunt.

2. loci sui

30. Quod si ad nos referas, talia esse debent, ut à Voca-  
tione nostra aliena ne sint. Ergò ordo Ecclesiasticus ea roga-  
bit, quæ ad Ecclesiam & pietatem; Politicus ea, quæ ad Im-  
perium & Civitatem; Oeconomicus, quæ ad domum: Omnes  
verò & singuli, quæ ad fidem & Christianismum pertinebunt.  
Cumq; in Ordinibus istis adhuc multiplex Vocationum ap-  
pareat diversitas, specialius quisq; seipsum, & quæ sua sunt  
ex specialioris Vocationis præscripto, probè excutiet. Sic Petrus  
Vocatus non tantum ad Veram Evangelij prædicationem, sed  
& gloriosam ejus per miracula confirmationem, rectè potuit pro  
Dorca mortua, in Vitam præsentem resuscitanda orare & im-  
petrare Act. 9. v. 40. At hodiernus aliquis Pastor ita preca-  
tus super mortuo, tantum aberit ut impetret, ut etiam gravissi-  
mè peccet. Sic Moyses rectè orat & orando manna de cælo  
impetrat. At hodierni Spiritus Anabaptisti, etiam si fecerint  
idem non semel, tamen spes eos jure fefellit justissimo.

3. loci sui

31. Tandem ad Christum si flectas oculos, convenit tua  
petita capitaq; talia esse, ut non sint ab officio Christi aliena. Of-  
ficiū verò Christi ex ejus Vocatione & Missione evidenter  
apparet; quæ fuit, ut placatâ Dei Patris ira, genus humanum  
Deo reconciliaret, pœnitentibus peccata remitteret, credentes

ia

in morte conservaret, & ad felicitatem Vitamq; eternam per-  
duceret. Cum in actum illa partim deduxit, partim deducere  
pergit, officij sui partes exequitur. Et quia illas nunquam non  
& nullibi non exsequitur, negare quoq; hac sua beneficia nulli  
poterit. Cave ergò, cum Jacobo & Johanne pascas ignem  
de Cælo Vindicem Samaritana, sive humana impietatis, apud  
Luc c. 9 v. 54. cave, cum matre eorundem filiorum Zebedai  
apud Matth. c. 20. v. 21. magnificas & primas in regnis ter-  
restribus sessiones captes. Sic itidem noli petere magnam opum  
vim & c. Harum enim & consimilium rerum distributio atq;  
elargitio non est pars Officij Christi; quod profiteri & docere  
nos Christus ipse voluit responso suo dicto apud Matth. loco  
v. 23.

32. Ad Species rerum petendarum descendimus: ubi  
usitatam, & veram earum distinctionem repetimus in Spiritua-  
les & Corporales. Bona Spiritualia sunt vel ipsa Vita ac salus  
aterna, vel qua ad hanc ducunt & spectant. Hacq; quam  
maximè ac indefinenter petenda & expectanda sunt. Idq;  
etiam ceteris rebus humanis omnibus amissis. Quorsum spe-  
ctabit, si Vulgatam versionem, quam à fonte Hebræo & Lu-  
thero abire monet DN. Franzius, sequaris, illud Jobi c. 13 v. 15.  
Etiam si Dominus occiderit me, tamen sperabo in ipsum.

33. De Corporalibus verò & terrenis quid dicemus?  
An & illa à Deo precibus efflagitare Christianum est ac pium?  
Ita sane. Quia 1. sic Christus docuit nos expresse in Orationis,  
quam Dominicam vocamus, particula quarta apud Matth.  
c. 6. v. 11. & Luc. c. 11. v. 3. Sic 2. in casibus certis idem  
jussit, v. g. apud Matth. c. 24. v. 20. Luc. 21. v. 36. Et 3.  
exemplo suo pravit non semel, ut patet ex Matth. 26. v. 29.  
Præverunt 4. suis exemplis omnium temporum Sancti, è qui-  
bus sufficiat citasse Jacobum è Gen. 32. v. 11. Mosè ex Ex. 34.  
v. 9. Davidem è 2. Sam. 15. v. 31. Ps. 102. v. 25. Salomonem è



Prov. 30. v. 8. 9. &c. Quin & 5. Necessaria prorsus istiusmodi precatio pietatis alumnis 1. ob Indigentiam, quam indies experimur, 2. ob Ecclesiam, quam sine his adminiculis, sine pace, victu, amictu, Valetudine &c. servari sartam florentem non posse cernimus. 3. ob Gratitude, quam principi omnium honorum, juxta Jac. c. 1. v. 17. adeoq; & Corporalium, Auctori datoriq; Deo debemus. 4. ob Fidem, quam in istis temporalibus quoq; pralucere, crescere & exerceri fas est.

34. Quemadmodum autem inter bona spiritualia & temporalia longum latumq; interest discrimen: idq; non tantum si nudè inter sese ea contendas, sed etiam, si cum respectu ad nos. Ita enim illa sunt absolute & simpliciter ad salutem, necessaria: immò sunt vel ipsa salus nostra vel aliquid ejus: ad gloriam Dei faciunt ubiq; & semper: quæ omnia in hæc non quadrant.

35. Ut inquam inter illa differentia permagna est: sic & non sine differentia nobis divinitus promissa sunt. Quæ prioris generis sunt, à conditione, & sine conditione. Confer Rom. 10. v. 13. Luc. 11. v. 13. 1. Tim. 2. v. 14. 1 Joh. 2. v. 25. C. 5. v. 12. adeo, ut & contrarium se nolle expresso juramento Jehovah protestatus & professus sit Ez. 33. v. 11. Quæ verò in posteriori classe, non & cum conditione promissa sunt. Hinc & priora petenda absq; conditione, sine exceptione. Probo: 1. Quia sic promissa, ut ostendimus. 2. quia ijs non nisi benè utimur. 3. quia utilia ac salutaria semper, neq; unquam contra Voluntatem Dei petuntur. 4. quia sic p; eadem rogarunt. Ut exemplum habeas, vide Stephanum in Actis c. 7. v. 59. Domine, ait, suscipe Spiritum meum,

36. Corporales verò cum conditione petendæ sunt. Hæc formâ à se calicem transire volebat Christus apud Matth. 26. v. 39. Sic reductionem in regnum suum precabatur Hieropsaltes 2. Sam. 15. v. 25. Item Domine, ait leprosus Matth. 8. si vis,

si vis, potes me mundare. Conditioni huic insinuanda inferuntur ejusmodi locutiones. Secundum Deum Rom. 8. v. 27. hoc est, Secundum x̄p̄m I. Joh. 5. v. 14. Alibi Rom. 15. v. 32. & ἐπιζητήσατε τὸ θεῶν Rom. 1. v. 10. οὐ θεῶν, מִן הַשָּׁמַיִם Ps. 60. v. ult. Item Domine, si vis Matth. 8. v. 2. Si Dominus voluerit, si vixerimus Jac. 4. v. 15. Si Dominus permiserit I. Cor. 16. v. 7. Fiat Voluntas tua, Matth. 6. Luc. 11. Non quod ego sed quod tu vis Matth. 26. v. 39. Eveniat, quod in oculis Domini bonum est 2. Sam. 15. v. 26. & si quae similes in Scripturis aut Ecclesia occurrunt phrasae.

37. Non aggregabimus ad paulo ante dicta exemplorum chiliadas, quae haberi possent, sed placet statim adijcere Conditionis istius causam hanc, quam Paulus insinuat Ep. ad Rom. c. 8. v. 26. τὸ πρὸς αὐτὸν ἢ πρὸς θεῶν, ἢ πρὸς τοὺς ἀγγέλους. Quid oremus sicut oportet, nescimus. Usurpavit hanc rationem Christus in castiganda filiorum Zebedaei insulsa petitione Matth. 20. v. 22. Quare nil mirum, si imprudenter & ἄλογον (quo pacto & quatenus: Utramque enim significationem Vox ista admittere potest) ἢ μὴ θεῶν rogantes, repulsam patiamur cum Paulo corporalem tranquillitatem tribus rogante vicibus, 2. Cor. 12. v. 9. Repulsam vero? Ita Videtur. Sed Videtur: revera namque exaudimur 1. si non juxta sensum carnis, certe juxta sensum spiritus, qui in recessu pectoris nostri secundum Deum interpellat (προσευχῆς ἰσχυρῆς: idque non ἰλαστικῆς & mediatoriae, sed ἐνεργητικῆς & effectivῆς) pro nobis. 2. si non ad Voluntatem, tamen ad Utilitatem. 3. si non in terrenis, tamen in spiritualibus. Atque sic denegantur noxia, ut conferantur salutaria: denegantur parva, ut conferantur maxima: subtrahuntur terrestria, ut caelestibus nos adimpleat.

38. Caterum diversitatem hanc in Sacros. Bibliorum codice praescriptam nobis, ita tuemur, ut negaturi tamen minime simus, dari exempla & loca, in quibus Sancti Dei homines, ut

ut Petrus loquitur 2. Ep. 1. v. 21 (v. g. Jacobus, David, Moses) res temporales sine conditione petierint. Cujus sine dubio genuina causa, quod ipsi speciales de talibus revelationes ac promissiones antea factæ.

39. Alteram quod huc pertinet, ordo est, quo petenda. Utriusq; generis bona. Ea verò in re difficultas nulla, cum Christi effectum meritò omnium actionum nostrarum regula unica sit ac norma certissima, quod extat apud Matth. c. 6. v. 33. *Quærite mortales primùm Cælestia regna.* Deinde isthunc ordinem ipsæ rerum hæc natura ac rationes propria pascunt, & deniq; eundem suadent exempla Sanctorum virorum. Unum Davidem mihi vide. *Age Domine, salva, quæso, age Domine prosperè age quæso.* Sic orat Psal. 118. v. 25. *Summatim dicam.* David nunquam petit bona corporalia, nisi præmissa misericordiæ petitione, quæ Theologorum quorundam observatio est, de qua illi videantur,

40. *Quàm verò bone Deus! multipliciter hic peccatur!* Sunt 1. qui Spiritualia non petunt prorsus. 2. sunt, qui ea postremo petunt loco, corporalia primo. 3. Sunt qui corporalia petunt neq; perficiendis legitima Vocationis muneribus, neq; propriae salutis curanda, neq; promovendæ divinæ gloria, sed vel acquirenda mundana fama vel continuandis vitijs, peccatisq; contra primam secundamq; tabulam pugnantibus &c. *Omnia pessime! impie! Et sic tamen orant v. g. in morbo, qui sanitatem à Deo postulant cum suis tum Ecclesia precibus nec respiciunt, seriò cogitantes de fide exercenda, de humilitate Deo hominibusq; exhibenda, &c.*

41. *Precamur autem bona hæc tum Nobis tum Alijs.* Primum quin rectè fiat, & quotidie fieri debeat, dubium nullum est. *Omnes enim peccavimus Domino Deo nostro, Baruch 1. v. 13. Quis est, qui non cadat in die sapiens, sive lapsus in peccata, sive in calamitates respicias? Ab illo quotidianâ pani-*

penitentiâ resurgendum. Confer Deut. 30. 1. Reg. 3. Marc. 1.  
Luc. 24. per has ingredimur in vitam eternam, Act. 14. v. 21.

42. Quod ad Alios spectat, horum alij Vixerunt, alij  
Vivunt. Pro illis, pro mortuis inquam orare nefas ducito. Idq̃  
1. ob genus talium orationum in sacris Scripturis prohibutum.  
2. ob quadruplicem defectum, sc. 1. Mandati divini. 2. Exempli.  
3. Promissionis. 4. Utilitatis. Neq̃ enim quicquam mortuis  
prodesse poterit, quum jam sint coram tribunali Dei, ubi unus-  
quisq̃ recipit secundum ea, qua gessit in corpore, 2. Cor. 5. v. 10.  
Et chaos tantum inter caelum infernumq̃ est, ut ex hujus bara-  
thro ad beatas sedes transire aut deduci nemo queat, ut colligi  
potest ex Luc. 16. v. 26.

43. Super sunt ergo. Viventes; & pro his orabimus. Nempe  
Parentes pro filijs, ad exemplum Abrahami, Gen. 17. v. 20.  
Davidis, 2. Sam. 12. v. 16. Fratres pro sororibus, Gen. 24. v. 60.  
Sacerdotes & Ecclesiarum ministri pro auditoribus, Joel. 2.  
v. 17. Auditores pro pastoribus, Eph. 6. v. 19. 2. Thess. 3. v. 5.  
etiam, & quam maximè cum duris carceribus, & vinculis inclusi,  
Act. 12. v. 5. Subditi pro Magistratu, pro Regibus. 1. Tim. 2.  
v. 1. etiam pro impijs Jeroboamis, 1. Reg. 13. v. 6. Orabimus,  
compendio dicam ex loco Pauli 1. Tim. 2. v. 1. pro omnibus,  
nec excipiemus, nisi quos Deus exceperit. (1.) Scriptura Verbo  
generali. Quorsum spectant 1. Peccantes peccatum ad mor-  
tem, Stylo sic dicti Johannitico 1. Epist. c. 5. v. 16. 2. A facie  
Dei projecti, Stylo Jeremia prophetico, C. 7. v. 15. seqq. C. 11.  
v. 14. seqq. C. 14. v. 11. (2.) Revelationis mandato speciali.  
Cujus exemplum in Saule 1. Sam. 16. v. 1. Sed satis de hisce.

44. Sequitur III. Objectum, quod exprimit vox, Patrem.  
Isthanc, cum de Deo usurpatur in Scripturis, dupliciter accipi  
constat. Nempe 1. πατὴρ ὁ θεός, pro prima in SS. Triade per-  
sona, à cæteris distincta. 2. ὁ θεός, pro ipsa essentia divina,  
omnibus personis communi. Posteriorem significationem esse  
hujus

C

*Hujus loci, cum alijs satis manifestum sit, non probo, nisi unico axioma Theologico, à Lutheranis nunquã non diligentissimè inculcato. Quando vox Patris Deo tribuitur, & fit relatio atq; respectus ad creaturas, sumitur Essentialiter. Subsumo. Atqui hoc loco Vox Patris Deo tribuitur & ad homines refertur. Ergò. Cumq; eadem ratio sit præfationis Orationis Dominicæ Matth. 6. Luc. II. insigniter impudens Bellarm. l. I. de Sanct. beat. c. 20. cum scribit, à Lutheranis inibi vocem Patris sumi personaliter ac hypostaticè. Scilicet desisset Sophista Cacolyco, quod argumento contra Sanctorum Invocationem nostro, inde deducto, opponere potuisset, nisi viros Orthodoxos calumniã onerasset.*

45. *Ergò cum Patrem dicimus, Deum intelligimus & tres Divinitatis personas, Patrem, Filium & Spiritum S. complectimur. Est autem Deus humani generis PATER jure quadruplici (1.) Creationis, Deut. 32. v. 6. (2.) Gubernationis, Sap. 14. v. 3. (3.) Adoptionis, Rom. 8. v. 15. ad Gal. 4. v. 5. 6. (4.) Donationis, Jac. 1. v. 17. Est pater r. voto. 2. affectu. 3. affatu. 4. effectu.*

46. *Hunc Patrem, Deum trinunum precibus votisq; nostris interpellandum invocandumq; statuimus: arbitramurq; perinde esse si vel hanc vel illam vel conjunctim omnes tres personas oratione nostra alloquamur aut exprimamus. Si namq; ulla in re, profectò hic valet illa Logicorum Regula: Unius inclusio non est alterius exclusio. Immo, Unius positio est hic manifesta alterius expressio.*

47. *Sed & præterea, si scopum Textus nostri respiciamus, & probè intueamur, qualia sint bona, qua dare, qua erogare precantibus velit, possit, debeatq; is, quem rogare suademur, manifestò emerferit propositio Exclusiva hoc modo: Solus Deus (Pater) est invocandus. Exclusivam hanc, nisi nolis, breviter & evidenter, non quidem in illorum gratiam, quibus in*  
*rerum*

rerum apprehensione atq; noticia subactum jam ingenium, sed tyronum ( quorum imbecillitati ac tenebris tollendis varie, praeserti msi haeretica pravitatis semina secum adferant, inserviendum, viri boni judicant, & sine dubio Deum indicare voluit per conservationem & restitutionem artium Philosophicarumq; disciplinarum ) explicaturus, resolvo in duas hasce: Deus est invocandus. Et: Nulla res, nulla persona, quae non est Deus, est invocanda. Vel, Nihil aliud à Deo invocandum. Unde sequetur etiam hac Affirmativa: Omnis persona, quae est Deus, Vel Omne id, quod est Deus, est invocandum atq; adorandum.

48. Vides vim exclusivae! Idem fieri potest & utilissimum non raro est in alijs Fidei nostrae articulis. V. g. Sola fides justificat. Resolvo in has: Fides justificat. Et: Nihil aliud à fide ( quodcumq; deum sit ) justificat. Hem! quanta lux & Quaestioni statui & Universae controversiae Anti-Romano-Catholicae protinus illata, si novitium Theologiae alumnus, si ipsas adversariorum, quibus se & placita sua implicant, nebulas attendas.

49. Verum enim verò in praesente nunc mihi manendum pergendumq; instituo. Nullam autem rem, quae non sit Deus, religiosè adorandam diximus ex Paragraphi nostri verbis ac scopo. Finge ergò, & introducito, quamcumq; rem velis, v. g. Diabolum, Solem, Lunam, Deum non-patrem seu non-trinum, Sanctos defunctos, finge aliam, quae non sit Deus, & statim respondebimus, eam religioso adorationis atq; invocationis cultu honorandam non esse.

50. Ita in genere. At specialius distinctiusq; tangamus singula, sed breviter. Et si Americae populos non prorsus nullam Creatoris caeli ac terrae habere & habuisse noticiam deprehensum fuit: testantur tamen historia, eorum magnam partem eorumq; impietatis progressam an prolapsam fuisse, ut Diabolum ipsum invocare non dubitaverint. O caecitatem deplorandam,

execrandamq;. Præter Diabolum & Stellas quasdam adorant; & quidem Unam eandemq; plures, vel quisq; suam & peculiarẽ, cui peculiare & proprium nomen imposuerunt. Pars etiam Solem & Lunam religiosè venerati fuerunt. Idq; cum maxima & cætera Ethnicorum turba ipsis commune. Confer in hanc rem Sapientiæ autorem c. 13. v. 1. seqq;

51. Deum non-trinum invocant Judæi, qui nunc sunt, & cum eis Turcæ. Utriq; errore plusquam insano & impio. Et numquid honorare Patrem quimus, si non honoremus filium? Non sanè. Consule Joh. c. 5. v. 23. Et quemadmodum hæc est Voluntas Dei, ut omnis qui credit in filium, habeat vitam æternam, Joh. 3. v. 15. 36. ita exauditur nemo, nisi qui in nomine Christi Mediatoris nostri unci, Eph. 3. v. 12. in quo omnes promissiones sunt Amen & ita, 2. Cor. 1. v. 20 per Spiritum Sanctum clamaverit Abba Pater, ad Rom. 8. v. 15.

52. Faciliores dicta controversia sunt. Gravior est & magis ardua; quæ nobis intercedit cum Romana sedis recuaxioris, & praxi quotidiana Ecclesia falso dicta Catholica. Hanc si spectes, cultum verè divinum ac primæ tabulæ, adeoq; soli Deo debitum, exhibet Angelis, Mariæ, Sanctisq; cæteris demortuis. Si illos; impietatem hanc varijs colorant pigmentis, & coloratam iterum iterumq; in theatrum Ecclesiæ producitur, defendunt: tantò pejores suis auditoribus, quanto seductores seductis.

53. Ab hac piè abijit Ecclesia nostra, & illis seductori-bus magno sese opponunt zelo Veritatis & Orthodoxia nostræ Antistites: Unde & nobis hic facile esset prolixioribus esse possot tamq; loculentos CL. Præceptorum, aliorumq; virorum Theologorum de hac re scriptos editosq; Tractatus. Dicamus verò de Terminis Quæsit breviter: idq; per vsterologias à Prædicato exorsit.

54. Circa Prædicatum hoc mirè & miserè diligentes sunt Pontificij. Alij distinguunt inter Adorare & Invocare, inter

inter *Anbeten & Anruffen*. Quibus statim oppono 1. Canonem Theologorum ex Collatione locorum Scripturae (Deut. 6. v. 13. cum Psal. 50. v. 15. Item Psal. 72. v. 11. cum c. 10. ad Rom. v. 13.) certissimum: *Invocatio & Adoratio in Sacris usurpata & sine improprietate atq; tropo accepta, sunt synonyma.* 2. *Us & ratione firmem? Ecce rem! sic argumentor. Quaecunq; actiones 1. easdem habent causas efficientes, 2. eadem requisita, & 3. in idem feruntur objectum, 4. eodem consideratum modo, 5. isdemq; limitatum conditionibus, ista specie sunt eadem. Atqui Invocatio & Adoratio sic se habent. Ergo.* 3. *Distinctio Vocum Germanicarum inter Anruffen & Anbeten Jesuiticum figmentum est, & dignum hominibus istis, sed Italis, a què felicibus hujus rei aestimatoribus, quàm cæci sint colorum: qui in Germaniâ nati, rectius norunt linguam Teutonicam, distinctionem illam ignorare merito debent, & oculos collegas, qui vident quod nusquam est, videre. Sed & 4. ne nescias, Biblia Latina à Conciliabulo Tridentini patribus canonizata vocem Invocandi Deo tributam, Ps. 50. v. 15. habens, inq; germanico redditur per *Ruffe mich an*. Neq; est, ut Lutheri hanc versionem esse clamites. Etenim vera est, & sapit ingenium Linguae Germanicae. Quin & Zangerus Pontificius, qui ceteris Versionis nostrae flagellatoribus infauit, Emsero, Dietembergioq; velut Optio successit, eam carbone quod sciam, atro minimè notavit.*

55. *Caterum & Bellarminus vidit negotium hâc via non successurum, aliâ ergo tentare voluit, & triplicem introducere cultum: Unum purè mereq; divinum: Alterum merè civilem quibus deinde Tertium adjicit, quem ex utroq; compositum sine dubio, facit medium inter utrumq;. De primo secundoq; nulla dubitatio. Contra tertium sic argumentabimur. Quicumq; cultus 1. ab universo Codice sacro ignoratur 2. & gloriam divinam Creaturae tribuit, minimum ex parte, contra theorema Es. 42. v. 8. C. 48. v. 11. neq; 3. ex prima*



neq̄ ex secunda X. Legum divinarum tabula deduci commodè potest, sed 4. si ponatur, aut Utriusq̄ tabula impiam & intolerandam introducit confusionem, aut tertiam gignit. 5. Infirmum dividit, & 6. divisum finito miscet, rem divinam ex parte humanam, & humanam ex parte divinam faciendo, 7. pluresq̄ fidei progenerat species, contra Apostoli aphorismum, ad Eph. 4. v. 5. ille ferendus non erit. Atqui cultus medius Bellarmini talis est. Ergò.

56. Quod si usum ejus respicias. plaudite Arriani, plaudite Nestoriani & quidni etiam vos Ethnici extra Ecclesiam positi? exultate planipedes. jam datum est aurum. Audiamus enim Bellarminum, adcamus alios, intueamur Ecclesiam Catholicam, ad oculum patecet 1. Cultum, quo venerantur Sanctos, esse religiosum non politicum: Et 2. eundem competere quoq̄ Christo-Homini & Mariae benedictæ genitrici ex parte una, ex parte altera Sanctis.

57. Audiamus nunc 1. argumentum pie antiquitatis, (Antiquitatis vero? imò universa Scriptura Prophetica, dixerim ad mentem Lutheri. Prophetæ enim inquit D. Lutherus, Christum Dominum & Sacerdotem nostrum docent esse Deum quando dicunt eum invocandum sive adorandum esse. Hoc enim eorum fundamentum est. Nam adoratio atq̄ invocatio & præsupponit & confitetur divinitatem & omnipotentiam invocati.) quo vindicare deitatem Filij solet. Cuicumq̄ competit religiosa invocatio, ille non est mera Creatura, sed & Creator & Deus. Filio Dei CHR ISTO competit religiosa invocatio. Ergò non est mera creatura, sed Deus. Quid hic Arrius? Majorem negabit præennte Jesuitica Schola, & satis feliciter, satis firmiter. Hic Bellarminiana subtilitatis fructus est. Quod si Bellarminus nonnulla adduxerit restringendæ latitudini, quam finget in Majore, nos quidem eum non exaudiemus ob rationes tum alias tum eas, quæ th. 55. proposuimus. Arriana verò hæc

hereseos Candidatus dicam an Sordidatus verba sine mente, sine resonum dari exclamabit, quod intellectum expleat, nihil apprehendet; imò in Bellarmino mentem desiderabit, & quaeret an & seipsum intelligat? Hic fructus in Arrium redundans.

58. Quàm verò grata hoc accipiunt manu hodierni Arrii sive etiam Photini, (ita enim salutari malle videntur) nepotes! Qui verò de fide idem censuit Bellarminus, quod de Invocatione jam statuerat in dicto, adeoq; & alterum Orthodoxae Antiquitatis argumentum (In quem credimus, ille est Deus &c.) evertat, notabo locum ex Moscorov. Refut. append. Smigleci, ubi utrumq; usurpat pro se defendendo contra Jesuitam. Ac Smiglecio quidem, ait, oppono Bellarm. Jesuitarum ducem & antesignanum, qui sic scribit. Sicut Deum non potest invocare, qui in eum non credit, hoc est, qui non credit esse Deum, & qui ei non credendo in eo non sperat, nec eum diligit: ita etiam eum non posse sanctos invocare, ut Sanctos & amicos Dei, qui suo modo in eos non credit, id est, non credit esse sanctos, nec in eas sperare, ut in patronis, nec eos ut tales diligit. Item alium Jesuitam non obscuri nominis Wiekum, qui in Epiit. ad Philem. in sua Polonica N. T. Versione Catholicos in Sanctos credere annotat. Haecenus Moscorov. l. d p 10.

59. Sed & hoc modo vide Bellarmini Photinianismum. Invocatio alia est purè divina ac religiosa, Alia religiosa quidè, sed mixta tamen & priore illa inferior. Socinus non dissimili operà, Invocationes duas introducit, sed impares, in Defens. Animadv. in Assert. Collegij Posnan. c. 13. Sic & è Calvinianis quidam Invocationem atq; adorationem non de Job ubi sed de Job ubi in aliam, qua sit Deo propria, & aliam, qua rationem cultus ac reverentia habens, Christo homini competat, ita ut haec posterior sit priore illa longè inferior. Ut conspirant hi homines!

60. II. Quam

60. II. Quam aperte verò etiam Nestorianizat infelix illa Bellarmini *ἡ ἁποβουλία*, cum negat Christum secundum humanitatem purè divino cultu honorandum & invocandum. Itane? *Γέρμεν* Davidis non est Jehovah? Sanctum, quod ex Maria natum est, non vocabitur i. e. non erit filius altissimi? Quorum illud est contra Jer. c. 23 hoc contra Lucam c. 1. v. 35. Deinde Maria eundem Invocationis modum tribuit eadem distinctio: & quia cultuum horum differentia ex diversitate excellentiarum in rebus seu objectis reperitarum deducuntur, sine dubio, quibus idem competit cultus (*ἡ ἀπερὸς ἀλλεία* scilicet) illis eadem quoq; inerit excellentia. An E. Bellarmine, Mariam hypostaticè unitam dices Deo? aut, Christam Maria filium inter meros homines repones? Hem! *ἔπος ἀ τὰ πρὸς δὸς ἐν ὅς* inquit Aristot. *καὶ ἰσάδα οὐ μὲν αἰνεῖται*. Vides Christianum peccatū, qui unā impietate positā, infinita subsequantur.

61. III. Tot sunt DI, quot religiosa & ad primam tabulam pertinentes Invocationis & adorationis species. Plures autem sunt religiosa adorationis species, juxta Bellarminum (eag; etsi non Univoca, analogica tamen, & non equivoca; id quod satis). Ergo & DI plures. Eadem conclusio sequetur, si quod de Fide ait, assumpseris, scil. etiam in Sanctos credendum esse. Quot verò tandem DI? Resp. De Excellentia humana ita differit Bellarm. ut plures in ea differentias notet, ijsq; plures cultuum humanorum Species superstruat: anne excellentie medie similis in Sanctis Varietas? Ita est sanè. Non enim uni dat Deus omnia, nec omnibus paria, sed *κατὰ ἕνα τὸν* sua distribuit Spiritus S. prout Vult, 1. Cor. 12. v. 11. & secundum mensuram, ad Eph. 4. v. 7. unde suum cuiq; contingit *ἡ ἐκαστὸν μετὰ ὅ*. Quasi Vera sunt de hac Vita, ut sunt, cur non colligamus nos idem de Sanctis demortuis? Vident verò quorsum hac ducant an trahant? Ut humanarum excellentiarum diversitas constituit diversas hominum, non Physicè quidem

dem, sed Ethicè & Politicè consideratorum species, diversis cultuum humanorum speciebus venerandos: sic & differentiæ excellentiarum mediarum constituent diversos Deos diversis speciebus adorationum invocandos. Itane?

62. Unde patescit tertium, quod de Ethnicismo hic in Romana Ecclesia latente dixeram. Ut enim Gentilismus suos habuit Deos, Minores, Medioximos, & Maximum supremumq; omnium præsidem, Jovem. Sic Jesuitismus, postquam obstetricante Bellarmino, excellentiarum & Virtutum supereminentium differentias enixus est, totidem Deorum recipere gradus poterit, & fortasse partu felicissimo superaddere plures. Sed apertius dicam, orum ovo non videtur adeò mihi simile, quàm Pontificiorum hoc dogma Ethnicorum caco instituto. Idq; ostendo breviter, notando utriusq; 1. Originem, 2. Nomina, 3. Naturam, 4. Officia, 5. Cultus, cultumq; qualitates ac modos.

63. Originem quod spectat, Deorum gentilium classes peperit 1. Scriptura defectus & Ignorantia, 2. Virtutum fictitiarum falsa attributio, 3. Virtutum verarum mala applicatio, 4. Operationũ fucus, & ut summatim dicam, 5. Vana superstitio. Religiosi Sanctorum demortuorum cultus ecquæ incunabula sunt, si hac non sunt? Nempe 1. Scripturae abusus, 2. Excellentiarum mediarum fictio, aut 3. Mala, si fortè ad sanum sensum quadam ex ijs trahi possent, applicatio, 4. Fucus mendacium effectuum, quorum pleni Lugendarum, ut vocandi erant, libri. Summa. Nihil hic, nisi mera Superstitio & Vera impietas.

64. Si Nomina spectes, quàm lepidus hic consensus! Gentiles Deastris suis alia atq; alia nomina adsignabant, prout in diversis locis propter diversa beneficia colebantur. Sic Sancti suis Catholicis. Quod ad Naturam attinet; Ethnicorum DI Quod tales non erant, sed tantum errore & superstitione hominum. Ita Sanctos Pontificiorum demortuos naturâ ac reapse Deos nullus dixerit, ac ne ipsi quidem Pontificij.

D

65. Offi-

65. Officium gentiliū Deorum inferiorum classium,  
aut consideratur respectu supremi Jovis, aut respectu hominum  
in terris degentium. Etenim illi erant mediatores constituti,  
per quos ad summum Deorum sese reciperent, quibus miseris  
& indignis adire eum fas non erat. Idem Officium sustinent  
Sancti demortui in Jesuitismo. Inter eosdem gentiliū Deos  
officia & procuraciones in terris administrande distributæ  
erant; aliorum fuit mala propulsare, aliorum largiri bona:  
alius præsidem egit urbis hujus v. g. Athenarum, alius illius;  
alius Egypti, alius Francia, alius alius provincia tutor extitit:  
Sic è sanctis apud Jesuitas alius Germania, alius Hispania, alius  
terra alij præst: sic item templo uni præst Maria, sequenti  
Gregorius, tertio Nicolans &c. Medicos tuetur Cosmus,  
Jctos Ivo, Theologos Thomas &c. alius largitur bona, alius  
averruncat mala.

66. Tandem Venerationis cultum mihi vide. Ille apud  
gentes admodum religiosus fuit, nec humanus aut externus  
tantum. Talem etiam Sanctis suis deferunt Pontificij. 2. Ille  
varius fuit nec uniformis apud gentes: sic Sanctorum varia ac  
multiplices apud Jesuitas Venerationum forma. 3. Ethnico-  
rum cultus atq; invocatio inepto multiloquio constabat, ut  
paret ex Matth. 6. v. 7. Sic Pontificiorum preces magnam  
partem prolixæ verbosæq; quæ deferenda Sanctis à supplicanti-  
bus, si exaudiri velint: sape etiam cruenta, ut Baalitarum Sa-  
cerdotes veris lineis, veris umbris exprimant, de quibus legere  
est 1. Reg. 18.

67. Ita nunc breviter: singula membra prolixius dedu-  
cere ac conferre strictius, nullius difficultatis est. Omnibus au-  
tem sine præjudicio examinatis, non apparet ulla mihi causa,  
cur illas Deorum classes publico suffragio non receperit Eccle-  
sia Catholica, neq; publico stylo hæcenus defenderit: quarum  
infima contineat Sanctos communes, sequens, Mariam &  
Christum.

Christum hominem (Φεῦ ἡς ἰσχυροῦ;) suprema Deum trin-  
unum.

68. *At mendacium id maximum & apertum est. Non enim ullus Catholicorum hoc (sc. Sanctos esse Deos) dicit vel dixit unquam. Sic tumultuatur Bellarminus. At heus bone vir! non replenda est curia verbis, quod dici solet; de re ipsa questio erat. Ut ibi nosti boare magis, sic hic nomen implet, & bellare minus videris. Esto verò 1. verò verius, quod scribis de Catholico yncio; sic dicto. Sed tùm appellatio ista tam bene vestra Secta convenit, quàm honestissimum matrona nomen Thaidi alicui, & eòdem planè sensu, quò & Jesuita dicimini, & olim Scipio vocabatur Africanus, quia Africam vastarat, Carthaginem penitus deleverat. Ita vos Jesum, ita vos Catholicam, quantum in vobis est, vastatis Ecclesiam. 2. Quid dicatis hodiè vel olim dixeritis in publicis privatisq; de Sanctorum invocatione sermonibus, audire & scire nos non quimus. 3. Esto etiam, vestrates hæcenus totidem verbis non scripsisse, Sanctos canonizatos esse Deos. Non pugnamus hoc in primis, sed 4. Id quarimus, an 1. aliter sentiat in pectore? 2. annon horsum ducat vestrum dogma & dogmatis hypotheses? Et 3. numquid id Ecclesie vestre praxis quotidiana ostendat, doceat?*

69. *Sed & 5. Apologiae Aug. Confess. verba sunt, quæ animum urunt Jesuita, & legi queunt p. 224. sic v rò sonant ad verbum. Quidam planè tribuunt divinitatem Sanctis, vid. quod mentium cogitationes in nobis cernant. Hæcenus Apologia. Fac verò nò Videlicet esse ἐξυμνεῖν, & assertio erit Nostratum hæc; Sancti juxta plerosq; Pontificios, cernunt, audiunt, vel norunt mentium cogitationes, cordium suspiria. An tu hanc negabis, quæ totidem verbis apud vestrates hinc inde occurrit? Quod si mavis, fac Apologiam ratiocinantem: Qui tacitos mentium cogitationes in nobis cernit, ille habet divinitatem. Atque Sancti juxta plerosq;*

D 2

Jesui.

Jesuitas; cogitationes hominum tacitas cernunt. Ergò. In hoc discursu sic formato. quid non firmum? Major, respondebunt Jesuita. Verùm hanc firmo S. Scriptura dictis indubitatis, quæ cordium scrutationem soli vendicant Deo ut propriam in quarto, ut sic dicam, modo. Vide Psal. 7. v. 10. Psal. 38. v. 10. Rom. 8. v. 27. Hebr. 4. v. 13. 1. Theff. 2. v. 4. Apoc. 2. v. 23. Act. 1. v. 24. C. 15. v. 8. Jer. 17. v. 10. C. 20. v. 12. C. 11. v. 20. 1. Sam. 16. v. 7. 1. Paral. 28. v. 9.

70. At quorsum nos pextraxit, quorsum abripuit calamum Bellarminiana subtilitas! Breviter. Cultus ille medius aut est secunda tabulæ & Politicus, aut prima, & Divinus. Non primum juxta Bellarm. E. secundum. Ergò est cultus religiosus & Deo debitus. Quam ad rem oculariter & plenè declarandam refer huc Rosaria & Hortulum animæ, Psalter. D. Mariæ & alia sexcenta, quæ diligenter & prolixè compertata vide apud Chemnit. in Examine. Imò ne prolixa ista curâ opus, vide Conciliabuli Tridentini patres omnium ore loquentes Decreto de Inv. Sanctior.

71. Sunt præterea, qui è Græca lingua sperant sibi favorem & tutelam, distinguuntq; inter λατρεία, δαλεία & ὑπερδαλεία. Lepidè satis, sed numquid etiam satis verè? Non sanè: permutantur enim (ut cætera taceam hîc toties à nostris dicta & monstrata:) in S. Scriptura λατρεύειν, & δαλείειν, adeoq; & δαλεία Deo tributa, λατρεία verò contrâ Creaturis, legitur. Vide Levit. 23. v. 3. Act. 20. v. 19. Rom. 12. v. 11. C. 14. v. 18. c. 16. v. 18. Ephes. 6. v. 7. Coloss. 3. v. 24. Hebr. 13. v. 10. Etiam Versio Latina à Patribus Concilij Tridentini approbata τὸ λατρεύειν apud Matth. 4. v. 10. vertit per servire. Et annon plus est δαλείειν quàm λατρεύειν? Ita est: Unde & illud sæpius in Scriptura Deo tribuitur quàm hoc. Vide CL. Dn. Præsidem; item Dn. Meissn. p. 2. Sobriæ Phil. Satis de Prædicato.

72. Sub

72. Subjectum sunt Sancti, sive Angeli sive homines. Angelos Sanctos nominat Scriptura sæpius. V. g. Marc. 8. v. 38. Luc. 9. v. 26. Act. 16. v. 22. Cum hominibus ea vox tribuitur, triplicem subit significandi varietatem. (1.) notat integras Ecclesias cœtusq; visibiles. Idq; non sine tropo, cum ad totum referatur, quod est quarundam partium. Vide ingressus Epist. Paulinarum ad Rom. ad Corinth. ad Eph. Philipp. Coloss. &c. (2.) denotat quosdam Ecclesia cives, fideles scil. qui sancta vocatione vocati, 2. Tim. 1. v. 9. Verè per sermonem Dei Patr̃s Joh. 17. v. 20. à Spiritu Dei nostri sanctificati 1. Cor. 6. v. 11. ut sancti sint sanctitate tum relativa & imputationis 1. Cor. 1. v. 30. tum subjectiva & nova obedientia, Luc. 1. v. 44. 45. 1. Petri 1. v. 15. (3.) notat in Domino demortuos beatos, Apoc. 14. v. 13. qui sancti dicuntur Matth. 27. v. 52. Significatio prima est generalis, secunda & tertia specialiores. Prima respicit Ecclesiam militantem, quã visibilis; Secunda eandem, quã invisibilis; Tertia ad Ecclesiam spectat, sed quã triumphat. Ab hoc verò loco alienissima est prima, alienior secunda, accedit autem aliquo modo tertia. Aliquo modo inquam: ut intelligas, non satis ad Sanctum in Papatu constituendum esse piè mori, sed oportet accedat Papalis Canonizatio: quam tamen vel unico Scripturæ dicto mandatam, & pia antiquitati purioribus seculis notam fuisse, nunquam probabunt sedis Apostolica Romana propugnatores.

73. Hinc tandem genuinum inferamus & exprimamus controversiæ statum, quem verbis, Domini Doct. Affelm. Præsidis sic effero. Queritur imprimis, an Sancti à Romana Ecclesia Canonizati sint invocandi vel adorandi adoratione propriè sic dicta, hoc est, fiduciali, supplici & divina, tanquam omnium spiritualium & corporalium honorum datores, opitulatores, Mediatores, & meritò suo apud Deum intercessores immediati, indubij, ita tamen ut non ab uno Sanctorum omnia sed à distinctis

D 3

distin-



*distincta, idq; rursus distinctis in locis postulentur beneficia?*  
*Hic Status litis probus germanusq;: cuius affirmativam partem Pontificij arripiunt, nos in negantem imus.*

74. *Negationis nostrae rationes dabimus brevibus. Et quidem I. si textum nostrum nostramq; eius Analysin superius institutam firmiter teneas, facilis & evidens probatio. Argumentabor enim. Quicumq; sunt alij à Deo Patre trinuno, illi religiosè invocandi non sunt. Sancti Papales sunt prorsus alij à Deo trinuno. Ergò religiosè invocandi non sunt.*

75. *II. Ex eodem textu nostro sic colligimus. Solus ille invocandus est, qui potest dare omnia ad vitam temporalem & aeternam necessaria, adeoq; tum bona Corporalia, tum imprimis Spiritualia. Sancti demortui, Canonizati à Pontificibus, id non possunt. E. non sunt invocandi.*

76. *III. Superaddam his argumentum toties à nostris usurpatum, & Pontificijs idololatriis transmissum: sed quod inviolatum inconcussumq; semper redierit. Quaecunq; invocatio 1. destituitur divino mandato 2. divina promissione, 3. pio patrum piorum & V. & N. Instrumenti exemplo 4. impingit in honorem Deo proprium. 5. impingit in honorem Christi Redemptoris, 6. Christi intercessoris, 7. Christi Sanctificatoris, item 8. in honorem Christi Regis, 9. dirigitur ad ignorantes, & 10. ad improbantes: quaq; item 11. multis modis lubrica & incerta, ac deniq; 12. superstitione Ethnica plenissima est, illa nullo modo pijs viris ferenda, probanda, usurpanda. Atqui Sanctorum invocatio Papistica est talis. Ergò ferenda non est. Major sua radiat luce. In Minore omnis belli moles: sed quia singulorum membrorum plena deductio prolixioris foret opera, quam patiat nunc institutum nostrum & thesum ratio, uti liceat, Dn. Schroderi, qui nuper Deo avocante, ad patres abiit, opera, cujus vide in Fasc. Apodeixin VI. & junge magnum Chemn. hic & prolixum & diligentissimum p. 3. Exam. Conc. Trid.*

77. *Dimit-*

77. Dimittamus tandem Jesuitas, & respiciamus ad Aphorismum nostrum Johanniticum, in quo superest ut de *U* de *M*odo, quo fieri preces debeant, dicamus. Continetur iste his verbis: In nomine meo, h. e. Christi. Nominis vox tum, rebus Creatis, tum Increato Deo in Sacris tribuitur, significat in q̄, induit multiplices: sed hujus considerationem alterius loci esse jubemus. In presente materia Nomen simplicissime & generaliter interpretabimur, & accipiemus pro cognitione atq; fiduciali apprehensione Christi in Officio Mediatoris atq; intercessoris constituto, qualis fides sine Spiritu Sancto esse non potest, teste Paulo 1. Cor. 12. v. 3.

78. Ergo non contradicimus illis, qui Nomen Christi accipere *ἁπλῶς* videntur: nec 2. illis qui *πρὸς τὸν Θεόν*: nec 3. illis, qui *πρὸς τὸν Χριστόν*, nec 4. illis, qui *πρὸς τὸν Πάτερ*. Scilicet Christum ponimus verâ fide, quæ absq; mandato nulla est, & promissionibus nititur, apprehendendum, & quidem non simpliciter & quoquo modo, sed ratione meriti ac gratiæ, quam sanctè vivendo, libenter patiendo sponteq; moriendo ac gloriosè resurgendo universo generi humano peperit, applicat autem non nisi credentibus, consideratum.

79. Hæc explicatio utiliter de pluribus monet, nec minus fortiter plura plurima Hereticorum veterum novellorumq; dogmata evertit, & confutat. Quia verò abundè controversarum est in præcedentibus, tangemus tribus & atro notabimus carbone Calvinianorum, quos vocant, dogma de Christo homine religiosè non adorando. Initio verò hic ignorandum non est, Calvinianos, esse in triplici, quantum ad hanc attinet questionem, differentia. Quidam nostro ore loquuntur, & diversum tamen à nobis sentiunt. Pectus Calvini est, sed vox & verba Lutheri. Quidam, quod sentiunt, eloquuntur, & eum, qui ad humanitatem Christi suam dirigit orationem, Deum blasphemare ajunt, & veluti idololatram, ab ipso Jehova male-

maledictionis fulmine percussum. Quidam nec tepidi sunt nec calidi, Conciliatores scilicet ignis & aqua, frigoris & caloris, mediatores inter propositiones contradictorias; inter esse & non-esse: genus hominum ipso Deo doctus subtiliusq;. Deinde & hoc notamus, quosdam eorum hallucinari in Quaestionis subjecto, quosdam in praedicatione, quosdam in conclusionis principio. Vide verò quàm verum & hic illud tritum: τὸ ψῆδθ. ω. λυκέφαλον.

80. Sententiarum hac divortia sinimus pingere, fingere ac refingere suos autores, & ponimus ἀντὶ δόξης καὶ ἀπὸ τῆς Controversiae statum, qui isthic: An Christus homo (sive secundum humanitatem τὸ ὄνομα) indivisibiliter ac inseparabiliter unitam) sit religioso adorationis cultu adorandus atq; invocandus? Calviniani negant, nos affirmabimus ex praesente textu, ex quo formabimus hoc ἐν τῷ αὐτῷ.

81. Argumentorum par. I. Quicquid est Objectum agnitionis & apprehensionis fiducialis, id est etiam objectum religiosa invocationis. Firmum id ex loco Apostolico Ep. ad Rom. c. 10. v. 14. Subsumo. Atqui non sola divina, sed & humana natura Christi est Objectum fiducialis apprehensionis atq; agnitionis Christi. Ergò etiam humana natura Christi est objectum religiosa invocationis. II. Cujus natura Christi est meritum illud & gratia, propter quam exaudimur; illa est Objectum religiosa invocationis. At meritum & gratia ista non est unius solius divina, sed & (verissimè ac realissimè) humana naturae; & sic Utriusq; & ab Utraq;. E. Christus secundum humanitatem sive Humanitas Christi est quoq; Objectum religiosa invocationis.

82. Placet III. conferre locum huic nostro prorsus parallelum ex C. 14. v. 13. Joh. nostri. Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, inquit ibi Christus, τὸ ὄνομα, hoc faciam. Unde argumentamur. Quicumq; dat omnia in nomine suo petita, sive  
Spiri-

spiritualia sive corporalia sint, ille est adorandus. Atque  
Christus, ἰσχυρὸς ἐν ἑαυτῷ, ἰσχυρὸς ἔστι, qui dat ista bona pe-  
tentibus. Ergo ἰσχυρὸς quoque est adorandus. Quomodo  
verò ἰσχυρὸν adoras, si ἰσχυρὸν hunc ab adorationis objecto  
excludis? Contradictio!

83. Sed liceat IV. præter hunc locum allegare etiam alium,  
ex eodem Joh. nostro, & quidem c. 5. v. 22. Pater, ait Christus,  
omne iudicium dedit filio, ut omnes honorent filium, sicut ho-  
norant patrem. Et mox v. 27. & potestatem dedit iudicandi  
quoque, quatenus ( ὅτι; quæ particula hic αἰτιολογικὴ esse non  
potest, sed δεικτικὴ ac διορθωτικὴ est, notatque idem quod ἄρα & ἔτι  
explicante D. Pelargo in com. in Joh. p. 62. edit. Francof.  
an. 1615. ) filius hominis est. Ut autem emphases horum loca-  
rum acriter teneamus & fortiter urgemus: Sic ipsa loca usurpabi-  
mus contra Adversarios ita, ut non statim in tres ruamus ter-  
minos & Syllogismos exstruamus: id quod fieri assolet; & rectè  
quoque fit, sed nunc eorum progredi calamo usumque cære Logicum  
non placet: placet in Enunciationum subsistere doctrina.

84. Ergò fas sit unicam ( id enim instituto nostro nunc  
satis. ) Propositionem ex allegatis versibus 22. & 27. educere,  
eamque sic efferre: Filius æterni patris, quatenus filius ho-  
minis est, illo honore honorandus est, quo honoratur pa-  
ter æternus. Annon id expressè vult textus? Nunc ut eam in-  
telligas probè, & quid dicat, quid pronunciet ipsa apertissime  
cernas, laborabis. Mihi Juniores manu ducturo, placet eam resol-  
vere in propos. hæc sequentes. 1. Filius æterni patris est filius ho-  
minis. 2. Filius æterni patris est pari cum Patre honore honoran-  
dus. 3. Filius hominis est eodem & pari cum æterno patre ho-  
nore honorandus. Et 4. Filius æterni patris, quatenus est filius  
hominis ( hoc est, id ipsum, quod termini ac voces filius homi-  
nis, primò ac formaliter significant, hoc est, Natura humana,  
eadem illa cum cæterorum hominum, quoad substantiam atque  
defini-

E

defini-

definitionem essentialem ¶ est pari & eodem honore, quo pater  
aeternus ab aeterno & in aeternum honorabitur, honorandus ve-  
nerandusq;

85. Quid ad hac viri Calviniani? Negabitis propo-  
sitionem esse in textu (Id verò nimis frigide, ne dicam impuden-  
ter: & veritas suos habebit vindices. Negabitis analysin  
meam? At sic excidetis laude ac fama illa multiplicium Scien-  
tiarum, quam apud rudes animos à primis Religionis vestrae  
incunabulis affectastis: nec deerit è doctorum virorum cohore,  
qui in ordinem vos redigat, & illam rònæ tradèat partem  
in tuto ponat. Quid queso negabitis?

86. Sic ergò in luce est notata ex D. Joh. textibus Chri-  
sti, qui veritas ipsa est & fallere atq; mentiri nullo modo potest,  
propositio. Eamq; si teneas, & velut amissi utaris in judican-  
dà Calvinianorum placitis, abibunt isthac in ventos. I. Pisci-  
tor Herbonensis, Falsum, ait, docent qui tradunt adoran-  
dam esse carnem Christi (At illud veracissimò verbò apud  
Joh. affirmat Christus. Utri creditis Patres Theologi? utri  
creditis Christiana professionis alumni?) quippe cum cer-  
tum sit, carnem Christi, licet sit Caro Dei, hoc est, filij Dei,  
personaliter ei unita, non esse Deum. Certum est, inquit Pi-  
scator, Carnem Christi non esse Deum. At inquam, nihil in-  
certius, imò nihil falsius, nihil magis impium. Deitas quidem  
non est, est tamen Deus: Id quod non ait Scriptura Joh. 1. 50, sed  
prorsum clamat. Breviter. Sanctum quod ex Maria nascitur, est  
filius altissimi. Luc. 1. Germen Davidis est Jehovah. Jer. 23.  
Jesus Nazarenus crucifixus & mortuus pro genere humano est  
Dominus factus, ut ostendit Petrus Act. 2. v. 36. Secundus  
homo est Dominus de caelo, èq; regis. I Cor. 15. v. 47. II. Da-  
masus Assert. p. 38. Nulla, inquit, carnis aut humanæ na-  
turae cogitatio necessaria est: imò prorsus removenda à reli-  
giosa Dei divinæq; naturæ, etiam in Christo ipso, adora-  
tione;

tionem: Quoniam hic honos soli Deo (adjiciam verba tria, ut solvam nodam hanc Gordium: Soli Deo; NB. aut absoluto aut incarnato) debetur. Hactenus ille. Quid verò est Christo contradicere, si hoc non est?

87. Non est animus prolixiore hanc rem consideratione persequi; unde cetera argumenta in Scripturis hinc inde extantia pro Adoratione religiosa carnis Christi omittimus; perre-  
duri tandem ad Propositionis nostræ

## P R A E D I C A T U M.

88. Hoc continetur in verbis:  $\delta\acute{\omega}\delta\acute{\alpha}\ \acute{\upsilon}\pi\acute{\alpha}\nu$ , dabit vobis. Quis iste, qui ea, qua petimus, dabit? Resp. Ipse ille, quem rogari volebat Christus, Pater, sive Sacrosancta Trinitas. Et dabit quidem ea Vobis sic petentibus. Petendi vox ut in Subjeto usurpata, sic hoc loco repeti debet. Ut intelligas, Orationem tuam debere esse Petitionem. Neq; enim satis, recitasse aut murmurasse aliquot verborum manipulos, sed aliquid petendum est, & mente quidem presente, non alienata, non vagante. Scilicet 1. fide verâ presuppositâ, 2. cogites, quanta cum Majestate loquaris, 3. animum intendas ad testimonia de Deo, quibus suam vel essentiam vel voluntatem divinitus revelavit. 4. præceptum etiam de Invocatione intuearis. 5. Invocationis atq; orationis tuæ partes accuratè perpendas, & 6. in omnibus his non nisi promissionibus divinis nitaris, & tandem 7. pietatis ac vitæ Christianæ officia agites corde, moribus, sermone. Hinc decantata illa rectè Orandi difficultas. Difficilius est orare, quàm arare, aut tritum sermone verbum.

89. Porro cum dicitur,  $\delta\acute{\omega}\delta\acute{\alpha}$ , Dabit, certissimam Christum exauditionem pollicetur. Christus inquam; quò, postquam impositam peccatorum universi generis humani molem obedientissimè suscepisset, & languores nostros tulisset, dolores nostros portasset *Ev. 53. v. 4. Matth. 8. v. 17. 1. Petri 2. v. 24, in tan-*

tum delectatus fuit Deus, ut juraverit, se propter ipsum, omnibus credentibus in ipsum propitium fore & servaturum eos in morte ad beatitudinem aeternam.

90. Atq; hoc est, quod Hierosolites ait Psal. 110. v. 4. Juravit Dominus, & non penitebit eum: Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec: de quo Vide Epist. ad Hebr. Quid, obsecro, verò hoc aliud est, quam si dixisset Deus per Prophetam. Juro ego Jehovah: propter te, filium meum pro genere humano passurum, ero placatus in aeternum omnibus illis, qui te fide accipiunt. Brentius. Audis, inquam ego, jurantem Jehovah Dominum! Et juramento huic ipsi nititur religiosa illa Christi in ingressu Textus nostri facta aasseratio: Amen amen dico vobis.

91. Quibus ita constitutis, agite paucis videamus, qui in usum eadem verti possint ac debeant. Et quamvù iste multiplex esse & varius queat propter eam varios Hæreticorum errores, tum & varia vicia quotidiana errata: attamen cæteris omissis, placet ea usurpare tantum 1. contra Pontificium priorum operum meritum. 2. contra noxiam ejusdem Sectæ de salute dubitationem.

92. Contra I. sic concludimus. Si omnis exauditionis certitudo & gratuita dōnis beneficiorum divinatorum, unice & in solidum à solo nomine Sacerdotis aeterni, qui unus & solus Christus  $\text{Ἰεσὺς Χριστὸς}$  est, dependet, sequitur humanorum bonorum nostrorum operum meritum esse nullum, esse impium. At antecedens est, ut textus. Ergò & consequens.

93. Contra II. ita argumentamur. Quodcumq; Christus ipsa veritas, juramento aeterni Patris subnixus, Patrem certò daturum petentibus ex fide, & se facturum religiosè spondit, de eo dubitandum non est. At bona Spiritualia, peccatorum remissionem, justitiam & vitam aeternam credentibus ita promissit. Ergò de illis bonis, de remissione peccatorum & salute dubitandum non est.

94. Hinc

94. Hinc & minimè ferimus, imò impietate non carere dicimus, si quis cum conditione, v. g. remissionem peccatorum petat. Confidenter dicendum est. Tene te, mi pater in verbo perq; promissiones tuas! & vis & potes & debes salvare, non quia sic meum meritum, sed quia sic tuum promissum non quia id poscit persona mea dignitas, sed quia id exigit verbi ac promissionum tuarum veritas &c.

95. Nullo proinde modo hic hæsitandum. Sed & sine hæsitatione, (quamvis non sine conditione addita aut subintellecta; de quo dictum superius th. 36) Corporalia bona petenda sunt, certoq; statuendum, etiam hic nos in nomine Christi petentes exaudiri. De qua re ne pluribus hic dicendum sit, repetimus ea, quæ in th. 37. annotata, huc facere queunt, & præterea distinguimus inter exauditionem & exauditionis revelationem, inter auxilium divinum, & auxilij modum. Exauditio & auxilium divinam certa sunt: quamvis auxilij modus & exauditionis revelatio non statim sequantur.

96. Ergò & Mora illa, de qua toties Ecclesia & Sancti in ea viri conquesti, non ab exauditionis denegatione, sed à suspensione revelationis hæret est.

97. Mora verò hujus quàm pregnantes apud Deum sine dubio Causæ! 1. Cum Deus non dat ad horam, non contemnit petentem, sed exercet quærentem. August. 2. Orantem probat atq; quasi igne excocctum jussio rem ac puriorem facit, & ad orandum magis provocat. Hieron. 3. Siq; Dominus aliquid adimat voluntati, hoc tribuit saluti, ait iterum Aug. Tract. 7. in Job. sed & 4. quædam non negantur, sed ut congruo tempore dentur, differantur. 5. quod si verò non dentur, quæ petis, dantur meliora, quam petis. Ibid. Confer hac de re prolixè disserentes alios.

98. Mora hujus qui quis impatiens, peccat. Qui pius, à Deo adjutus durabit & sese rebus servabit secundis. Instabit



exemplo vidua. Luc. 18. Multiplicabit preces suas c. ram Do-  
mino, exemplo Anna I. Sam. I. v. 12. indefinenter pulsabit  
Luc. 11. ( Quippe quod concessurus est, etsi differt, non tamen  
aufert Deus, ait August. in Pl. 65. ) expectabit Dominum,  
moram facientem, arbitratus, eum veniendo venturum & non  
tardaturum, ut est apud Habac. c. 2. v. 3.

99. Quotus quisq; verò nullo planè exauditur modo, eum,  
concludimus cum D. Basilio, aut malè orasse, aut non condu-  
cibilia petisse, aut in oratione non perstitisse. Ut causa apud  
hominem sit, non apud Deum, in verbis & promissionibus suis  
veracem.

100. Malè petunt verò non unius generis homines, sed 1.  
qui sine verâ fide orant. 2. qui non orant devoto pectore. Ut  
vox sine modulatione, est quasi vox porcorum: sic Oratio sine  
devotione est quasi mugitus bouum. 3. praefracti peccatores, qui  
in iniquitate perseverant. Quales qui sunt, D. August. ver-  
bò, Dei illusores sunt, non Oratores. 4. qui in precibus dabitant,  
Jac. I. v. 6. 7. Timida oratio numquid calum penetraverit?  
Deniq; 5. qui ideò petunt, ut in concupiscentijs suis insumant,  
Jac. 4. v. 3.

Quos inter ne simus, tua misericordiae est, Jehovah  
Pater clementissime; quod exaudimur, tua gratiae est, Christe  
benignissime: quod salvamur, tua operae & curae est, Spiritus  
Sanctissime. Cui Deo Uni & trino sit laus, gloria & honor  
in perpetuas aeternitates.

## Corollaria.

### P R I M U M

1. Ingenijs hominum Reformata ( ut appellant ) Reli-  
gioni addictorum nihil, si Dls placet, mitius; à Candore & hu-  
manitate facta, si verbis credas. At hem! quoties contrarium  
prote-

protestationi factum! Capiamus hujus rei exemplum à Doct.  
Joh. Crocio ita in D. Joh. Affelm. Dn. Praeceptorem & Prae-  
fidem meum aeterno cultu mihi venerandum, pro modestia sua  
Praefat. p. 2. Controv. Prut. ita in, argentem. Deum Reform-  
matis tantum non Diabolo deteriorem esse, Rostochien-  
sium Alastor Joh. Affelmannus in impura sua Triade  
concludit. Hactenus D. Crocius.

3. In quibus si modestia, si humanitatis vel vola vel ve-  
stigium, ostendant ego, Omnes doctos, prudentes, ac bonos viros  
errorem errasse sex jugera longum 1. in definitione Modestiae  
2. ejus requisitis. 3. ejusdemq. exemplis. Quin & 4. eandem  
tibi Modestiam immodestissimam, Immodestiam modestissimam,  
humanitatem inhumanissimam & inhumanitatem humanissi-  
mam. Σιδηροζόλα!

3. Sed meritis est Doct. Crocius accuratorem censu-  
ram, quam instituemus, inquisituri 1. in Titulos & Epitheta,  
quibus D. Affelm. & Triada ejus beat 2. in Rem ipsam.

4. Ut verò improbitatem Styli Crociani evidentius  
omnium oculis exponam, in antecessum notabo, sermonem esse  
de D. Affelm. in publico officio Professionis Evangelicae consti-  
tuto: cujus etiam sit, vi vocationis istius divinae non tantum  
docere auditores suos solida διδασκαλίας τῆς ὑπαιθέσεως funda-  
menta, sed & ἐλέγχειν τὰς ἀνυπέροχας (Nota emphasin Apo-  
stolicam.) idq. potenter & tanto verborum rerumq. divinarum  
robore, ut ora obturata è certamine ac disputationibus referant  
domum adversarij. Vide D. Paulum Epistolâ ad Tit. v. 9. II.

5. Nunc videamus, quo honore beēt hunc Dei ministrum,  
D. Affelmannum. Nominat Rostochiensium Alastorem.  
Resp. Rostochij superesse Orthodoxos fidei propagatores & pro-  
pugnatores, interq. eos Doct. Affelm. Dei donum est, bonum  
verò Scholae & Ecclesiae nostrae. Ne nescias autem 1. Alastor  
apud Poetas gentiles est unus ex atris illis nigri Plutonis, infer-  
norum

norum presulis prasidij, equis. An cum eo virum Ortho-  
doxum, viram legitime ad Evangelij ministerium vocatum,  
virum officij sui divini partes exequentem componet D. Cro-  
cius? Impius erit, & peccabit in ipsam vocationem divinam,  
in vocantem Deum, in Spiritum S. per ministerium suum de  
peccato arguentem terrarum orbem.

6. 2. Non poterit Crocius, si vel se vel Affelm. spectet.  
Argumentor enim (1.) Quicumq; est inter eos, qui 1. sine con-  
troversia sunt vniuersi vniuersi Aug. Conf. socij & Professores, &  
2. quibus fraternitatis manus toties porrigere voluit uniuersus  
vester Reformatorum ordo, illum D. Croci non potes, si bonus,  
bona conscientia Diaboli ministerium constituere. At qui D. Affel.  
est inter illos &c. Ergo. (2.) Qui in sua religione & ipse sal-  
uari & alios salvare potest, Deo laboribus benedicente, illius  
ministerio non deuehantur anima ad tartareas sedes. At de  
D. Affelm. illud est verum. E. & hoc. E. non deuehet animas  
suorum auditorum in infernum.

7. Non placet in re manifesta pluribus argumentis uti.  
Eorum, que usurpauimus, Propositiones Majores extra, ut pu-  
to, controversiam. Minores etiam multis probarem, nisi vel  
in confesso ipsa, vel etiam vestratum gauderent testimonijs.  
Perkinsius. Die Kircken in Teutschlandt / so Lutherisch ge-  
nennet werden / die erkennen wir für die wahre Kirche Gottes.  
Heidelbergenses: Wenn ihr (Lutherischen) Gottselig lebt/  
nach der (NB.) erkenntnuß/ die euch Gott gegeben hat / so halten  
wir euch für Kinder Gottes vnd für Brüder in Christo Jesu.  
Vngachtet des Irrthumbs / den wir meinen / das ihr von heiligs  
Abendmahl haben. Legati Galli Ecclesiæ Hugonice  
anno 1557. Sentimus nos & vos esse unam veram filij DEI  
Ecclesiam.

8. Sed sunt & alie Alastoris significationes. Notat  
enim tum animam seu hominem male sibi consciam, tum &  
Genium

Genium cauteriatas conscientias vexantem cruciantemq̃.  
Prima locum in D. Præfide habere non potest, nisi malam Con-  
scientiam gignit intrepida veritatis ac fidei Lutheranæ-Catho-  
lica assertio, defensorq̃. Et si ita, unde Doct. Crocio id con-  
stat? an κακότης ἐστίν ἐστι?

9. Contra secundam sic argumentabor. Quicumq̃ do-  
cet Evangelium salutis, Act. 20. v. 32. gratia, ibid. v. 24.  
pacis, Et. 52. v. 7. quo reficiuntur, qui laborant & onerati sunt,  
ex Matth. 11. v. 28. (taceo mille mille alia) is non est inter  
Alastoras & conscientiarum tortores. D. Affelm. profitetur  
Evangelium pacis, gratia, salutis, &c. Ergo inter Conscientia-  
rum Alastoras habendus non est.

10. Horum omnium quid tandem negabit D. Crocius  
solido argumento ductus? Nihil, prorsus nihil. Unde quantam  
immerenti injuriam & vim intulerit, cogitabit tandem & pœ-  
nitebit.

11. Caterum acceptabimus nunc versò stylo, quod ait Cro-  
cius, & ipso invito, in melius vertemus id amen. Eccur enim id  
non liceat, cum vox ista sit ex numero eorum, qua in Ultramq̃  
partem accipi queant. Sic etenim Græci Alastorem quoq̃ vo-  
cant eum, qui damna ἀλαστρα (non facile obliuiscenda) præ-  
ter fas jusq̃ bonis illata ab improbis, in illatoribus vindicatur.  
Vide Domine Doctor, Germania est, in qua Jehovæ auspicijs &  
D. Lutheri ministerio vera religionis facula resplen-  
descere cæperat. Tenera huic Virgini, Ecclesia renascenti  
deplorandam Majores vestri (quorum errores maximos horren-  
dosq̃ hodieq̃ aut studiosè palliatis aut arctè tenetis) intulerunt  
ὀργάνω, malumq̃ prorsus ἀλαστρῶν: quid mirum, si per sinceros  
Lutheranæ doctrinæ assertores Deus ea in Vobis vindicet.  
Conscientias E. si exagitat & torquet Affelmannus, non or-  
thodoxorum, non nostras torquet, sed vestras, fricando eas &  
verbi gladio penetrantissimo vulnerando.

F

12. Per-

12. Perplacet hic sensus & de causa quidem non una. Id saltem hac vice considerare in hanc rem liceat, quod vestrae religionis homines non quosvis nostra Fidei æquæ & æque hæc tunc dignati nomine fuerint, sed eos potissimum, qui orthodoxiam Lutheranam imprimis defenderunt & vestram heterodoxiam, vestra *Ψυδογὰ φησὶ*, vestra rationis humana Sophismata magno zelo in vestrum retorserunt caput. Sic auctores & Apologitæ Form. Conc. Sic Jac. And. & alij vobis *Atastores* sunt. Sic & nunc D. Crocio D. Affelmannus.

13. Accedo ad Triada ipsam, quam impuram vocat Conuersationis Prutenicæ auctor. Dicam verò breviter. In Triade duo sunt 1. Charta. 2. Literæ, dictiones &c. Impuritatem se quis à charta derivare velit, ineptus sit & theatro doctorum virorum se deridendum propinaverit. Literas, dictiones vocesq; aut spectamus materialiter aut formaliter ratione significationis. Priori modo spectata nec pura nec impura, ullò sensu, qui horum facere potest, sunt: Ergò impuritas erit à rebus, quas significant. Verum quid contra vestra Religio nis principia est, si hoc non est? Sic concludo. Nullum signum est *μετὰ δὸν*, & reapse exhibitivum ejus rei, quod signat & significat. At dictiones, vocesq; (propositionum integrarum, quoad hanc rem, non dissimilis ratio:) sunt *ὀνομαστικά*, sunt *σημεία*, sunt signa rerum. Ergò non exhibent, non deferunt res ipsas. E. nec rerum accidentia, inter quæ Impuritas.

14. Sed tamen impura esse cogitur, D. Crocij editō, Affelmanniana Syllogismorum Trias. Ut habeat, quod voluit, distinguimus assertiones orthodoxas, quas Dn. Affelmannus inibi suas facit, ab effatis Doctorum Ecclesiæ Calvinianæ. In illis impuritas, quam notâris aut notare queas, nulla: quoad hæc verò, non gravabor D. Crocio assentiri. Inde verò deductâ Impuritate ad totam Triada, erit in locutione tropus, quò, quod partis unius aut quarundam est, transfer-

eur ad totum, sine subjectivo tamen ac reali ceterarum partium vitio.

15. Quod ad Rem ipsam attinet, de ea Affelmannianos Syllogismos repetam, in quibus solvendis antè occupabitur D. Crocius, quàm huiusmodi injuriosa strigili mactet viros & Scriptores ipsos. Inquit D. Affelman. DEUS Calvinistarum (Crocius substituit vocem Reformatorum, ut diversis his nominibus unam eandemq; rem subesse ostendat:) est Diabolo deterior: 1. quia Diabolus neminem cogit ad peccandum, neq; verò cogere potest. Unde Scholastici: Diabolus non est causa peccati directè, sed solùm per modum persuadentis vel proponentis appetibile. 2. quia Diabolo naturale est peccare, & homines seducere: at Deus profitetur, se esse ipsam bonitatem, nihilominus tamen maximam partem seducit, & in peccata precipitat. 3. quia Diabolo imperat, ut homines seducat. Omne autem opus magis est imperantis, quàm exequentis, magis impulsoris quàm impulsæ & moti, magis agentis principalis, quàm instrumentalis. Hactenus D. Affelmanni verba & rationes.

16. Quid verò D. Croci, annon hæc ipsa in Veltra-tium scriptis sunt? Omnino. Cur ergò quod inde sequitur legitimâ discursus formâ, sine ullo Sophisticæ elencho, tam facere gravaris? Argumentor. Qui assentitur præmissis easq; suas facit, is non potest non suam facere Conclusionem. Reformati assentiuntur præmissis easq; suas faciunt. E. non possunt non suam facere Conclusionem. Majoris veritas inde constat, quod conclusio non sit novam quippiam, secundum rem à præmissis distinctam, sed in illis est duræ pæ. Vis aliter? Cujus Ecclesia & Scholæ Syllogismi medium est, illius quoq; sunt extrema, mediò illò rectè connexa. At Ecclesia Reformata media illa ab Affelm. notata sunt. E. quoq; illius sunt extrema.

17. Hactenus ostendimus, quibus rationibus adducti cogamur impiam illam & verè impuram Conclusionem vestra Ec-

*clētia imputare. E contra verò quāso te, D. Croci, quibus cau-*  
*sis moti adiguntur veſtratum quidam ad deformandum Chri-*  
*ſtum noſtrum, λόγῳ illum ἐνοχρον, & ſervatorem unicum, ut*  
*ſcribere non erubescant, Chriſtum noſtrum eſſe einen groben*  
*Eſel/ ein abgöttiſch Kalb/ reiſſenden Wolff/ Eccelenmörder/ ohn-*  
*mechtigen wohn vnd hirngoken / Tyrannen / Baat/ der zu höh-*  
*ten vnd zu ſpotten ſey/ addita appendice, das man ihn nicht könt-*  
*ne ſo Verdammen noch Verſpotten / das er nicht eines argern*  
*wert ſey. Hac omnia & plura alia in Chriſtum noſtrum, ſe-*  
*dentem in throno Dei Patris & praesentier potenter, omnibus,*  
*etiam in medio inimicorum, dominantem unus è veſtro ordine*  
*& in unico quidem libro blaſphemiarum portentā eructavit*  
*& evomuit: Infeliciter profectò & impie! Audi Croci. Si*  
*praemiſſas nobis oſtenderis, ex quibus per ſe & ἀνευ δόλις ὑγ-*  
*ἁπέτης ſequitur de Chriſto noſtro, quod ait Scriptor ille, ſta-*  
*tim & expreſſe eas damnabimus, refutabimus. Petunt noſtra-*  
*tes tot annos idem à vobis in quaſtione de Calvinitarum Deo,*  
*& ſic veſtro: non ut lædant vos, ſed ut pietatis & τῶν ὑγιαίνοντων*  
*λόγων ſectandorum moneant, non ut calumniētur, ſed ut*  
*ab errore in viam revocent. Hoc opus, hic labor & finis*  
*unicus τῶν λόγων ἁγίων. Etiam D. Affelmanni.*

## S E C U N D U M.

18. Omnino aliud eſt Idolū, aliud Typus, & aliud  
 Imago. Cum Reformata Eccleſia, quam vocant, Doctori-  
 bus controverſia nobis eſt non de illo nec iſto, ſed de Ima-  
 ginibus.

19. Neq; tamen quaſtio eſt 1. de inhonestis & impudi-  
 cis imaginibus, neq; 2. de puerilibus, anilibus, & ineptis, neq;  
 3. de Papisticis (qualis eſt v. g. Petri, claves manibus geren-  
 tis, vel Jacobi, quatenus illā adumbratur & confirmatur  
 Pontificis primatus; hāc peregrinatio ad Compoſtellam) &

Idolo.

Idololatricis alijs, sed quaritur 4. de honestis; illis scil. quæ sunt commonefactiones vera historia, & monumenta, ut Incarnationis, natiuitatû, tentationis, crucifixionis, mortis, ascensionis Christi.

20. De his inquam queritur: & id præterea non simpliciter aut absolute, sed cum certo modo ac respectu consideratis. Nempe quatenus vel ornant, vel docent, vel monent, vel memoriam adjuuant, vel conjunctim præstât hæc omnia. Fingens imagines (sculptas, pictas,) aliam induere rationem, v.g. impedire aut vitare ornatum verum & principalem, qui in Concione, Cantione, Oratione, Communioneq; consistit, sic pro ijs non militamus.

21. Hactenus subjectum Controversæ assertionis. Prædicatum est geminum. i. facere 2. habere & retinere eas; idq; in templis publicis. E. tota questio est. An imagines ornantes, docentes, monentesq; facere de novo, & factas in templis publicis habere liceat?

22. Facere autem & Habere dicimus; ut intelligas, & nihil, & calumniam esse, si quis Lutheranos sugillet, & semiadorationem Imaginum nostris Ecclesijs irribuat. Falsò istud: non Papizant, non Jesuiturunt viri Lutherani. Deinde aimus, an liceat. Neq; enim superstitiosè imagines necessarias esse credimus, neq; ita usum earum urgemus.

23. Itapostea questionis partem affirmativam arripimus, Reformati negativam. Et affirmativam istam eo fine adeo tuemur arctè, ut ne obulum quidem unum ad impietatem conferamus. Quisquis enim id facit, Arethyij verbo & iudicio, perinde est ac si contulisset omnia. Vis apertius? Pugnamus pro libertate Christiana, quam seriò nobis commendavit D. Paulus ad Gal. 4. v. 31. C. 5. v. 1. ita quidem ut ne ad momentum hinc adversarijs cedendum sit, eodem præunte ibid. c. 2. v. 5.

F 3

24. Con.



24. *Contra tumultuantur Reformati & theſin ſuam  
pluribus ſed ruinoſis tuentur ratiunculis. Inter alia etiam ar-  
gumentum habent ab autoritate & conſenſu, quem crepant,  
quorundam Doctorum noſtra Eccleſia: & inter eos introdu-  
cunt quoq. Dn. Præſidem, D. Affelm. cuius verba qua ſunt,  
agite audiamus. Zu welcher (bilder) neuen auffrichtung / daß  
nemlich neue Bilder in Kirchen gemacht vnd geſetzt werden/  
gleichwol keine verſtändige Theologi ratthen / vnd deſſen erfach  
nicht von den Calviniten, ſondern auß Gottes Wort gelernet  
haben.*

25. *An cum Calvinianis hic facit D. Affelmannus?  
Negamus in ſolidum. Cum B. Luthero facit, & ſerè cum  
Luthero loquitur. Ita verò ille. Quamquam imagines non  
admodum amem & vellem in templo non ſtatui, non  
quod ſolum hoc ſpectem, quia adorentur, quod rarius  
accidere puto, ſed quod fiducia operis in precio & ſpecie  
earum ponitur, quaſi in illo opere aliquid obſequij Deo  
praestetur, cum inferia perdatur ſumptus, & totum quod  
illis impenditur, in meliores uſus pro fratrum neceſſitate  
impendendum ſit. Sic Lutherus. Etiam cum D. Chem-  
nitio facit; Videntum eſt, ait ille, ne rudioribus vel poſte-  
ritati imagines ſint occasio ruinae & idololatriæ: item, ne  
ſumptus, qui debentur vivis Dei imaginibus, profundan-  
tur in motas ſtatuas. Idem idem proſus dixit & voluit  
Affelmannus.*

26. *Ergo non amat Lutherus ſumptuoſam, ſuperſtitio-  
ſam & charitatis officia impediendentem, non ſuadet Affelman-  
nus novam & periculoſam imaginum facturam, quid veſtra  
cauſa hic præſidij? Nihil. Non placent poſt Lutherum D.  
Affelmanno imagines ration: Reformati tollunt eas à vñs.  
Affelmannum reſpicit ad id, quod imaginum facturam ſequi  
potest per accidens; Calviniani eam prohibent ratioe ſui &  
per*

per se. Affelmannus vult prudenter esse occurrendum malo  
externo fortè futuro: Calviniani imagines fabricandas & ha-  
bendas negant ob vitium in re ista præsens & internum. Hæc  
quanta inter hos & illum distantia!

27. Repeto ergò litū statum, & iterum dico, Quæri, An  
in facere vel factas imagines in templis habere, sit per se im-  
pium ac vitiosum? Et, an hoc ipsum ex aliquo præcepto divi-  
no morali à Calvinianis ostendi ac probari possit? Nos negamus  
utrumq̃.

28. Sed audiamus etiam, quomodo producta D. Affel-  
manni verba in suum vertant usum Reformati. Theophilo  
Mosano respondit satis Rev. & CL. Dn. Balduinus, quem vide.

29. Breviarum libiquintilicium sic infert. So müssen  
das keine verständige Theologi sein; die neue Bilder in der Kir-  
chen machen lassen. Ergò sint oportet non satis prudentes Theo-  
logi, qui imagines in templis erigi sinunt. Resp. Abludis à  
scopa. Quæstio est an factura imaginum sit per se impia &  
divinis literis contraria, quod nostra Ecclesia negat. Bre-  
viarium concludit, non satis prudenter fieri, si novæ imagines  
in templis erigantur: Quid hoc ad rhombum? 2. Darnus, non  
satis prudenter agere Theologos, qui novas imagines, quæ occa-  
sionem idololatriæ olim datura videntur (de ijs enim loquitur  
D. Affelmannus) in templis poni permittunt. Sed quid hoc ad  
Imagines à d. d. & per se, vel etiam ratione modorum th. 20.  
notatorum spectatas? 3. Quod de imprudentia ait D. Affelm.  
referri debet ad actum illum, de quo loquitur, & explicandum  
est exegneticis. Breviarium id ex more suo pervertit, ut vide-  
tur, & accipit ex luxu. Deniq̃ 4. imprudentia à D. Affelm.  
notata perstringit studium, conatus, & calida & non satis cau-  
ta consilia in Imaginum erectionem collata. Breviarium ean-  
dem obtortit tractam collò, rapit & transfert simpliciter ad  
Ima-


*Imaginum facturam, s. Scopæ idcirco dissoluta! Prudentes Theologi non suadent, non agitant consilijs suis Imaginum novarum facturam publicam. Ergò non sunt prudentes Theologi, qui novas imagines in templis fabricari concedunt. Iterum dico, funiculus ex arena est.*

30. Scultetus Orthodoxus inde colligit, suadere Affellmannum, ut imagines è locis sacris legitimè removeantur. Resp. 1. Quibus obsecro fidiculis inde illud Scriptor iste extorquebit? 2. Imagines impudicas, Papisticas, Idololaticas legitimè removendas esse, quis negat? Et quis ob legitimè factam Imaginum remotionem Resurrecta Ecclesia Doctores & Lutheranos unquam reprehendit? Ob illegitimas Iconoclastas vos salutamus, & dicam vobis scribimus. Vobis inquam, quos etiam in hoc puncto à veritatis orthodoxa via regia abire cernimus, & sic pro adversarijs habere cogimur: contra quales Confessio fidei nostra nobis ex asse edenda & asserenda est, non ex semisse. Quodq; dum faciunt Orthodoxi, gladium Spiritus, quod est verbum Dei, in Heterodoxos stringentes, peccatores esse non possunt in causa tam sancta & divina, judicio B. Lutheri, quod vide in Epist. ad Philipp. Melanchth. scripta ex Eremito suâ die Petri & Pauli, anno æræ Christianæ 1530.

Filio, qui nos liberando, verè (ὄντως) liberos fecit,  
Joh. 8. v. 36. benedictio, gloria, robur in  
secula seculorum. Apoc. 5. v. 13.







per se. Affelmannus vult prudenter esse  
externo fortè futuro: Calviniani imagines  
bendas negant ob vitium in re ista præsens  
quanta inter hos & illum distantia!

27. Repeto ergò litus statum, & iterum  
facere vel factas imagines in templis ha-  
pium ac vitiosum? Et, an hoc ipsum ex ali-  
no morali à Calvinianis ostendi ac probari po-  
nturum.

28. Sed audiamus etiam, quomodo p-  
manni verba in suum vertant usum Reform-  
Mosano respondit satis Rev. & CL. Dn. Balc

29. Breviarum libiquintilicium sic in-  
das keine verständige Theologi sein, die neue  
chen machen lassen. Ergò sint oportet non sac-  
logi, qui imagines in templis erigi sinunt.


scopa. Quæstio est an factura imaginum  
divinis literis contraria, quod nostra Ecc-  
viarium concludit, non satis prudenter fieri  
in templis erigantur: Quid hoc ad rhombu-

satis prudenter agere Theologos, qui novas  
sionem idololatriæ olim daturæ videntur (d-  
D. Affelmannus) in templis poni permittu-

Imagines à dōs & per se, vel etiam rationi  
notatorum spectatas? 3. Quod de imprude-

referri debet ad actum illum, de quo loquitur  
est irregularis. Breviarium id ex more suo  
tur, & accipit enūos. Deniq; 4. imprude-

notata perstringit studium, conatus, & cali-  
ta consilia in Imaginum erectionem collata  
dem obtortè tractam collò, rapit & trans-



mal  
ha  
Hem  
An  
im-  
divi-  
amus  
ffel-  
hilo  
vide.  
üssen  
Rit  
Theo-  
id d  
ia &  
Bre-  
gines  
, non  
occa-  
nitur  
oc ad  
20.  
felm.  
ndum  
vide-  
felm.  
cau-  
ean-  
er ad  
Ima-